[redacted] A NAZ.
anuele III
II
D
31
NAPOLI

XLII
8
31



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

COLLOCVTIONES

IO: BAPTISTAE FERRARII

SENENSIS

E SOCIETATE IESV.

SENIS

Apud Bonettos Typis publicis M.DC.LII

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" - NAPOLI

NOBILISS^IS ERVDITISSIMISQ;

ACADEMICIS

INTRONATIS ET PHILOMATHIS

IO: BAPTISTA FERRARIVS F.

VT in huius fronte libri euulgandæ Collocutiones meæ affabrè præſcriberentur, ſuū Patria ſuppeditauit inſigne, albo nigroq; diſtinctum. Cum enim colloquendo, quæ nobis obſcura ſunt, interrogemus: reſpondeamus autem, vt lumen afferamus obſcuris: qua potuit ratione aptiùs Collocutionis natura exprimi, quàm ſi eius nomen in alboris nigroriſq; confinio bicoloribus litteris partim nigreſceret, partim verò albeſceret?

beſceret? Præterea placuit Seneſes inter Academias geminam ad ſcribendum eligere, quæ coloribus primarijs abundat, & Ad amuſſim ſcribit. Vt mirandum nõ ſit, quòd ſub appoſita ſcriptione Meliora latent. Quæ voluminis huius frontem perhumanæ ornatrices viſendam effecerunt, iure beneficæ ſcriptionis ſuæ, ſibi vt idem volumen inſcribatur, exigunt. Quod vt libentiùs faciam, inuitat illuſtre Intronatæ ac Philomathæ Academiæ nomen, cuius luce mearum ſplendeſcat obſcuritas nugarum. Vos autẽ, Academici humaniſſimi, ne quid in Collocutionibus meis culpandum videatur, in bono excuſantis humanitatis lumine legite & Valete.

FRAN-

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS SOCIETATIS IESV Præpoſitus Generalis.

CVM P. Ioannes Baptiſta Ferrarius noſtræ Societatis Sacerdos cogitet recudere Orationes olim à ſe typis editas, facultatem facimus, vt iis adiungere poſſit orationes alias, ſcilicet de Natali B. Virginis, de S. Symphoroſa, Elogium P. Marcelli Maſtrilli, Collocutiones de Romana lapidatione, Senenſi pugilatu, Florẽtino Harpaſto, et Piſano in ponte conflictu: præterea Tragœdiam de Remo, et Carmen heroicum de Sancto Ioanne Baptiſta, quandoquidem hæc quoq; aliquot Patres, quibus recognitionem commiſimus, approbauerint, ſi tamen iis, quorum intereſt ita videbitur. In cuius rei fidem etc. Datum Romæ 13. Nouembris 1650.

Franciſcus Piccolomineus.

GOSSVVINVS NICHEL
SOCIETATIS IESV
Præpoſitus Generalis.

CVM P. Ioannes Baptiſta Ferrarius noſtræ Societatis Sacerdos ad cætera ſua opuſcula, duos Dialogos, quorum alter Pictura virtutum, alter Romulus Fundator inſcribitur, adiicere, et in lucem edere meditetur, facultatem ei facimus, vt etiam illos typis mandare valeat, quandoquidem aliquot noſtræ Societatis Patres, quibus recognitionem commiſimus, approbauerint, ſi tamen iis, ad quos pertinet, ita videbitur: in cuius rei teſtimonium has litteras manu noſtra ſubſcriptas, Sigilloq; noſtro munitas damus. Romæ 24. Auguſti 1652.

Goſſvvinus Nichel.

IVVENALIA

SIVE

LVDI NONNVLLI MILITARES SAECVLI RECENTIORIS.

ROMANA LAPIDATIO, ET CVRSVS.

COLLOCVTIO I.

DOmi agentem aliquando conueneram (quod ſępe ſolebam) & Muſis, & mihi amicum, nobiliſsimi generis virum, Caſſianum à Puteo: vt eius alloquio, eruditione omni conditiſſimo, eruditior meliorq; reuerterer. Excipit ille me de more perbenignè, manuq; hoſpitaliter prehenſum facit mãcipium humanitatis ſuæ: tum domeſticum in Parnaſſum bibliothecæ lectiſſimæ ſeducit. In hac librorũ delectu ornatuq; miranda nihil ęquè ſuſpexi, quàm vniuerſam antiquitatem, cum Romę tũ alibi diſperſam, pergraphicè includi. Nam ritus veteres aut ſacrificos, aut

nuptiales, aut funebres, aut venatorios, aut bellicos, aut triumphales, ceteroſque adhumanā vitam ſpectantes, qui vel pictis, vel anaglypticis in monumentis ſuperſunt, in egregiā linearem picturam contractos, & prægrandibus centum voluminibus ſingulari miraculo cōprehenſos erudiendis hæc ſubijcit oculis animiſq; poſterorum. Hìc vbi conſedimus: gratulor, inquit ille, tua publicæ opportunitati aurea poma feliciter, nec ſine ingenti plauſu, cultis in paginis tandem aliquando maturuiſſe. Iam verò quid operis noui præ manibus, & pręcalamo habes? Non illepidū, inquam, (vt ſpero) nec iniucundū: quod Collocutiones inſcribo. Cōſueuimus enim quotidie, (vt noſti) refecto corpore, animum quoq; tantiſper colloquēdo reficere. Hinc oblata eſt mihi occaſio, vt varia de pijs, deq; medijs ſiue indifferētibus rebus arguměta, & familiares meos, quà vita fūctos, quà ſuperſtites in dialogos includerem. Feſtiuiſſimum laudo conſilium, ait Caſſianus: cui materiam ego quoq; ſuppeditare habeo peropportunam planèq; indictam, recentis videlicet, pręſertim Hetruſcæ, iuuētutis ludos & pleroſq; ingenuos, & bello potiſſimū in pace proludentes. Mihi crede, in re ludicra, & in ſpeciem leui ſerium, & graue momentum eſt, ad iuuenilem deſidiam exercitatione genialiter laborioſa præſidiarię vrbium militiæ durandam. Neq;
militа-

militares tibi ludos ſub Ignatianis ſignis militanti conſcribere indecorum fuerit: quando tuus ipſe Ductor Cælo receptus ad Cantabricum natale palatium, in Aedem conſecratum, Mauricam pyrrhichen & venatorium tauri ludum per anniuerſarias ſibi dari ferias æqui boniq; ducit: quando præterea regium Dauidi ac decorum fuit ante arcam Dei tripudijs ſolemniq; ſaltatu ludere. Præmodum arriſit mihi lepida ſcriptionis materia: & inſtigantem Caſſianum cōtra vrgere cæpi, vt ea die, ſi otium eſſet, vnam alteramue palæſtram enarrando premonſtraret, quam ego conſcribendo perſequerer: alias deinde diſtinctis ſingillatim diebus exponeret. Tibi verò, Caſſiane, inquam, grates ago immortales, quòd hortaris, vt ludos calamo ludam, diuinæ documento Sapientiæ, quæ omni tempore ludit in orbe terrarum. Quòd ſi ludorũ ſcriptio ex ſententia non ſucceſſerit: facilè veniam eo nomine impetrabo, quia luſi. Tum Caſſianus, quandoquidem, inquit, iuuenilibus de ludis magnificè ſentis: magno animo eorundem tractationem nauiter capeſſe, ac ſeriò lude. Sed antequam ad externa peregrinemur, ad inſpectanda domeſtica facem præluxero. Romanæ videntur lapidationis ludicrum ante Romam conditam Romulus Remuſq; condidiſſe: vbi Palatinis Amulij paſtoribus Duces, originis adhuc ſuæ ignari,

cum Auentinis Numitoris bubulcis crebras diſcordias ſudibus ſaxiſq; paſtoralibus videlicet armis, dirimerent. Quamobrem vrbiũ princeps, & filia Martis, Romulea Roma miſſilium ſaxorum martiali quotidie prçludio ferocit: ijſdemq; ſaxeis armis, quibus olim extera bella profligabat, ciuilia nunc prçlia ſimulans, ad verũ diſcrimen aciemq; iuſtam conſueſcit. Credibile eſt enim etiamnum adoleſcentem ac tirunculam Amazonem, armorum copia nondum ſatis inſtructam, ſaxorum quoq: iaculis pugnaſſe, prima cum bella gereret cum Sabinis in cãpo Palatinum & Capitolinum collem interiacente. Cçterùm hiſtoriç teſtimonio compertiſſimũ eſt, validam Romani exercitus partem fuiſſe Funditores, qui plumbum & ſaxa è fundæ ſinu ſcutaliue, rapida vertigine rotatę, excuſſa in hoſtium perniciem volare compellerent. Neq; verò dedecuit regiam bellatricem, Romam, arma ſaxea tractare, quãdo etiam Turno Regi decorum fuit in ſummo diſcrimine

Aeneid. 12. *Saxũ antiquũ, ingens, cãpo qui fortè iacebat*
Limes agro poſitus, litẽ vt diſcerneret aruis,
manu trepida raptum in hoſtem Aeneam contorquere. Quin etiam antiquiſſimum, quippe terrarum orbi coæuum, parabile obuiamq: teli genus ſunt ſaxa, quibus vel armatos Gigantes facilè deijci proſterniq; poſſe

poſſe adultum adoleſcentis Dauidis robur oſtendit. Huc adde, quia ſępe de cęlo prodigioſę grandinis in morem lapidatum eſt, didiciſſe eandem Romam, nobiliſſimum eſſe conflictionis genus, quippe cęleſte, lapidationem. Quis prætereа neſcit, gigantęũ cum Dijs bellum ingeſtis regeſtisq; viciſſim lapidoſis montibus, & coniectis vtrinque lapidibus exantlatum? Quare Liguria lapidarios habet campos, quòd a Ioue dimicante creduntur pluiſse ſaxa. Vt Gigantes pariter Deoſq; fuiſſe lapidatores, & quidem ſtrenuos, intelligamus. Iouem imitatę ſublimes in aëre Grues ſaxeum videntur ludicrum exhibere. Nam Pontum tranſuolaturæ arenas deuorant, amplexæq; digitis lapillulos, cõtra vim renitentiũ ventorum ſaburrantur. Tunc ſe tollunt in altiſſima, trãſmiſſoq: trans medium alueo, ſcrupulorum ſarcina pedes liberant: vt ex eorum deiectu ſentiant, vtrum ſuper mare, an ſupra terram ferantur. Itaq; nautas ex illo caſu imbre ſaxatili ſępe cõplutos monent, ſicco etiam cælo grauem poſſe pluuiam incidere. Hinc olim in poëtas, velut in homines furioſos, lapides populus mittebat. Vt propterea Dauus ille Horatianus, ſatis frugi ſeruus, dum herilia vitia libertate decembri enumerat, hero, lapides & ſagittas minitãti, ſic occinat.

Iul. ſol. Polyb. cap. 8.

Ibid. cap. 17.

Horat. lib. 2. Serm. ſat. 7.

Aut inſanit homo, aut verſus facit.

Diceres poëtarum nationem Amphioni

non conceſſiſſe in ſaxis carmine pertrahendis. Teſtem te Petroniane appello Eumolpe, qui, quòd poëticè crebriùs loquereris, minùs humanè loqui, teq; à te exijſſe putabaris. Quare aduentitia lapidum frequentia, & ſaxatili plauſu, quoties carmina in theatro recitares, exceptus, ſaluo integroq; vix capite, quanuis operto, non ſemel extra teli coniectum fugitaſti. Nunc autem haud effugeres callidam noſtrorum violētiam lapidatorum: quorum hęc bellica diſciplina, & expeditio. Vrbem Romā Regiones priſco more partiuntur. Harum incolæ puer iuueneſq, plebeio genere, atq; ingenio pugnaci & inquieto (patritios enim ſedentaria, vel mollior exercitatio delectat) ludicra regionatim exercent odia:perq; dies plerunq; feſtos feriante otio ad bellicum negotium erumpunt. Vt autem res caſtrenſis ritè fiat, diſtributis ex militari pręſcripto muneribus, ſuos habent agmina certatura Duces, qui robore corporis & animi antecellūt: feciales etiam pueros, qui prouocatione intrepida lapidarium bellum indicūt, vel fundis faciendum, vel vnis nudiſq; manibus. Nam ſi funditor quis contra condictum accedat, fundam ponere iubetur ab hoſtibus. Deniq; excubitores, qui, viarum inſeſſis capitibus, longinquo ſpeculatu cauent, ne lictorum captioſæ vncinatęque manus tenax pugnantibus afferant impedimentum. Igitur

Petrō. Arb. ſatyric.

tur primùm coëunt in ſociale conſiliũ: præmiſſoq; feciali pubere hoſtem prouocant. Ad hęc locus certamini condicitur & patentior, & a populi celebritate remotior: qualis eſt area ſpatioſiſſima Diocletianas ad thermas. Eò confluunt ex vtraq; hoſtiliter parte ferè centeni, ſaxa ſuppeditantis terræ filij, & gigantum montanos lapides iaculantium fraterculi, lapidibus armati, nec ſolùm manu, ſed animo etiam planè ſaxei. Vbi geminæ acies mutuum in conſpectum venerunt, continuò fit clamor & impetus. Prima in fronte pueruli, nempe tirunculi audaculi ferociter velitantur. Puerilem velitationem cõſequitur peritiorum è medio agmine puberum atrocior: tum è poſtremo atrociſſima veteranorum, ipſorumq; Ducum fortiſſimorum eruptio. Tunc enimuero, addẽte alas furore, ſaxa volant innumera, quæ violenti laborioſiq; volatus demum pertæſa, ſuam in ſedem & centrum per obſtantium humanorum capitum perruptas perfractasq; moras cruentam ſibi viam aperiũt. Ita concreta graues in lapides terra, in volucrem liberatem manumiſſa, pro liberatorib' ſuis mirabili ſpectaculo in aëre militat: & ſiccum diluuiũ nonniſi poſt caſum cruore madet. Videas hìc alios læua circunuoluto pallio clypeata pluuios contra ictus ſeſe protegere: alios agili callidoq; corporis flexu, & leui ſaltu violentam petitionũ

tem-

tempeſtatem declinare: vulnerato alios capiti ſubitariam terræ iniectu medicinam facere, obligatoque raptim vulnere pugnam ardentiùs redintegrare, perinde quaſi ſeſe auctior per vulnus infuderit furor. Ah rabiem ponite noſtratis Arabiæ Petrææ teneri Heroes, vrbaniq; pannoſæ conditionis Petrones. Ah ne Latium cum Saxonia confundite Saxones voluntarij manuq; prompti. Ne Balearis fundæ Romanenſes hæredes veſtra vos hæreditate peſſundate. Integra capita, illęſaſq; ceruices penſilis funeris ſublimi præmio, indole veſtra digno, reſeruate. Validos lacertorum toros volantium per aquas remigio triremiū, nempe roſtratę facinorum veſtrorum mercedi, naualique coronæ deſtinate. Sed oſtrepente ſaxorum turbine non audimur. Porrò plerunq; fit, vt, alternante victoria, conflictio fluctuet, & vndabundum vtrunq; ſe agmen vltro citroq; propellat. Quòd ſi factionis alterutrius acies inclinare cœperit in fugam: tum verò ſine mora, ſine requiete fugientū terga lapidum poſtica grandine grauiter vapulant. Deniq; profligato bello, victores fugitiuorum aures hoſtium & animos ſonoris ſibilis conuicijsque proſcindunt: Regionem verò ſuam triumphalibus ad cælum clamoribus extollunt. Sin autem lictorium aduentare magiſtratum vindicibus cū virgarū faſcibus & ſecuribus pueri excubitores

è ſpe-

è ſpeculis proſpexerint, illico ignem inclamitant: hęc enim diſcriminis imminentis aſtuta ſignificatio, quaſi militaris teſſera, iam inter lapidatores conuénit. Audito ignis nomine, bellicus repètè calor extinguitur: omneſque velut populante incendio ambuſti, protinus in diuerſa diffugiunt. Tanta nimirum eſt publicorum reuerentia vinculorum, vt, ea ne contingant, ferocis ludi voluptate poſthabita, procul abeant: tanta etiam efficacitas, vt ipſo eadem admouentium vocabulo lapidati lapidatores vertantur in fugam: quique modò ſtrenuis manibus Martes erant, alatis iam pedibus transformētur in Mercurios. At ſi excubitorum incuria lictores improuiſi ſuperueniāt, vtraq; cohors, fœderatis ad breues inducias odijs, communem in hoſtem coniurat: ac diſtricta illorum arma ingruentium coniectu lapidum ſic hebetantur, vt victis armatis manibus inermes fuga ſuccurrant pedes. Si fortè quis in lapidatione ictus occumbat, & vitæ bonis dilapidatis, pretioſæ magis, quàm aurum, vitali aurę decoxerit: ſociali cæde commilitones magis efferantur ad vltionem. Vtinam recentes iſti Deucaliones, vetere inhumaniores, lapidea magnæ Matris oſſa non aduerſam, ſed auerſam in partem, atque poſt terga proijcerent: profectò ſi non repararetur extinctum, ſaltē ſeruaretur illæſum, quod

ſupereſt

ſupereſt, humanũ genus. Enimuero tanti non eſſe crediderim per ciuilia vulnera cædeſq; ad ſaxeas cotes excitatã ferri acie atque cupidine, externis bellis crudeli conſuetudine proludere. Deſierat Caſſianus. At ego, prudenter, inquam, & fabrè iecisti lapidea primùm Romanæ lapidationis fundamenta. Illud iam reſtat, vt aliorum quos Roma celebrat, mihi deſcribendorũ adijcias ludorum narrationem. Exigunt iam, inquit ille, auribus repręſentari tuis ea curſionis ludicra ſpectacula, quibus per ferias bacchanales apparatiſſimis Senatus Populuſque Romanus indulget in Stadiodromo: tum quia iuuenilem ad exercitationem hęc etiam faciunt: tum etiam, vt quæ princeps vrbiũ Roma quotannis exhibet, orbis quotidie terrarum poſſit bono in voluminis tui lumine intueri.

Priuata inter ciuium commoda corporis robur vireſq; concertatorias numerat Ariſtoteles, quibus publicæ rei tutelã ſtabilitur. Eas enim bellorum eſſe neruos Græcia ducebat: vt paucis quidem, at robuſtis militibus innumerabiles imbellis Aſiæ copias profligaret, ac per obtrita hoſtiũ arma, per obtruncata Regum cadauera vltra anni Soliſque vias imperium proferret. Viribus autem pollet, qui poſſit, quod mouere cupiat, ita mouere, vt velit. Porrò quodlibet mouetur aut tractione, aut

Rhetor. l. 1. c. 5.

pulſu,

pulſu, aut eleuatione, aut deiectu, aut compreſſione. Quocirca robuſtus aut his omnibus, aut certè quibusdam præpoſſe debet. Certandi verò vis magnitudine consentanea, robore, ac velocitate cōſtat: velox nanque robuſtus etiam eſt. Nam qui poteſt certo quodam modo pedes iactare, citóque ac longè promouere, curſor eſt: qui premere ac ſiſtere, luctator: qui pulſando trudere, is percuſſor: qui vtriſq; valet, pancratiaſtes: qui demum quincuplici hac facultate præſtat, pentathlus vocitatur. Non igitur mirum, ſi ludicro currendi certamine veri ſpecimen roboris exhibetur, & ad ſerium præmium bellica pedum proluſione properatur. Hìc ego prouoco ad ſapientiſſimum idem Stagiræ oraculum, quęroq; id fieri quì poſſit, vt ſua pedeſtri celeritati, nulla capitali Sapientiæ, olim præmia decernerentur: hoc eſt, pedes, non capita, coronarentur. Audio multiplex philoſophicæ cortinę reſponſum. An quia procliuius eſt de corporum gymnico, quàm de ingeniorum diſceptatiuo duello ſententiam ferre, victoremque renuntiare? illud enim oculis, hoc animo ſapientia oculato arbitramur. Arbiter autem alienę ſapientiæ vel magis, vel æquè ſapiens debet eſſe, vt ad amuſſim iudicium faciat. Quare ſi de propoſito prēmio ſapientiſſimi quiq; concertarent, arbitris oppidò carerēt. An potiùs ne

Ariſt. probl. ſect. 3. n. 10.

graues

graues in ſe inimicitias cõtraherent ex improbato alterius ingenio, alterique adiudicata palma? Minùs enim odioſè corporis, quàm animi vitia damnantur. An demum quia, velut in gymnicis conſueuerat, debebat robori præmiũ nobilitate pręſtare? Nihil autẽ victrice poſſit Sapiẽtia præſtabilius inueniri. Hinc pedibus quondã fuit, quã capiti, paratior corona. Porrò currendi certamen & triumphale in gaudium ludos hoſce ab Ioue inſtitutos fuiſſe, in ijſq; ſeſe Deos exercuiſſe, ac nominatim Apollinem curſu, Martem pugilatu victoriam reportaſſe tradunt, qui vetuſtati diuinitatem affingunt. Qui verò modeſtiùs humaniúſq; ſentiunt, Idæũ in Herculem Olympicorum certaminum originem referunt: quòd is, ab Ida Cretæ monte in Elidem quaterno cum fratre natu maximus cum veniſſet, curſus certamen per ludum fratribus propoſuit, victoremq; ab ſe deportata ex Hyperboreis oleaſtro coronauit. Deinde è fratrum numero placuiſſe memorant quinto quoq; anno quinq; certaminum genera, curſus videlicet, palæſtræ, diſci, ſaltus, & pugilationis celebrari. Cæterũ primi Elei nullo memorię prioris exẽplo, ſed arbitratu ſuo, (vt Pauſanias ait) curſus & palæſtrę puerilem concertationem inſtituerunt. Apud eundem quoque legimus, fabuloſum Lunę amaſium, at reuera ſideris eius contemplatorẽ, Endymionem

Natal. Com. Mythol. l. 5. c. 1

Eliac. l. 5.

Ibid.

Plin. Hiſt. nat. l. 2. c. 9.

Eleo-

Eleorum Regem, curſus contentione vincendum filijs regnũ propoſuiſſe. Quin imò regia inter exercitia curſuram numerabat Alexander Macedo, qui pedum celeritate præſtans, & Magnus adhuc duodennis, certaturum ſe curſu in Olympicis affirmabat, ſi curſores vnà Reges haberet. Romanis verò Imperatoribus Gręcię agones gymnicos retinere in Vrbe placuit, vt publicæ cum voluptati, tum vtilitati conſulerent. Itaque lienem athletę, graue ſcilicet celeritatis impedimentum, inurendum ſibi, Plinio teſte, curabant. Et curſu quidem aſſueſcere, Vegetio docente, militaris tiro debet, vt vehementiorem in hoſtes impetum faciat: vt opportuna celeriter, cum vſus venerit, occupet loca: vel aduerſarios, molientes hoc idẽ, anteuertat: vt ad explorãdum alacriter pergat, alacriùs redeat: vtq; fugientium terga citatior impugnet. *Supplẽ. in Qu. Cur. l. 1* *Plin. l. 11. c. 37* *De re. Milit. l. 1. c. 9*

Sollicitat quin ampla viros ad præmia curſu
Præceleres agile ſtudiũ, et tenuiſſima virt⁹;
Pacis opus, cũ ſacra vocãt, nec inutile, bellis
Subſidium ſi dextra neget. *Stat. Theb. 6*

Hinc Epaminondas adhuc ephebus (vt eſt apud Aemylium Probum) currẽdo plurimùm & luctãdo exercebatur. Hinc ex Salluſtio apud eundem Vegetium, Pompeius, à ſeſecti etiam capitis diminutione Magnus, cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cũ validis vecte contendebat. Vt minùs mi-

De legib. l. 8

rari habeamus, quòd Plato bellicę rei gratia nō iuuenes modò viroſq; ſed pueros quoq; virgines, atque mulieres voluit exerceri. quin etiā ad priuatū ſalubritatis, nominatim verò ſplenis abſumēdi, & obeſitatis emēdandæ bonum curſura conducit. Vt ex ijs, quę diximus, cū plebeios tum ingenuos curſionem homines decere colligamus. Non ab re penitùs fuerit hìc ſubtexere, inter veteres publicæ voluptatis ludos quadrigarū curſum à Romulo ſic fuiſſe inſtitutū, vt eo cæleſtia luſerit Olympia. Nam ingenioſo eius conſilio carceres ortum Solis, meta occaſum, ſeptem ſpatia rotis aurigantium percurrenda errantium ſtellarum ſeptenos errores, & aër, qui curſu tranſmitteretur, cælum ipſum ſignificabant. Noſtro tandem ſęculo aurigæ in pedeſtres curſores degenerarunt. Romani verò curriculi recentior conſuetudo ſic tenet.

Georg. Cedrē. Annal. p. 121. Iul. Cæſar. Bulēger. de circ. Rom. c. 32.

Die Sabbati, qui dominicum Sexageſimę diem antecedit, è Capitolio capitolini magiſtratus apparitores vndecim, quos vulgò Fideles vocant, veſte rubri coloris de more induti, & in equis vehentes, pręeunte quaterno cum tubicine pariter equeſtri, ad capitolinum adeunt velarium, vndena ex eodem accepturi brauia, curſorum futura pręmia, quę vectigalium anuuo Iudæorum tributo comparantur. Hęc haſtilibus præfixa per celebriores vrbis vias feſto cum tuba-

rum

rum ſonitu circunferentes, Pontificias primùm ædes petunt: quarum in atrio tubis itidem concinentibus Pontificem ad lætum conſpectũ,& ad omnia fauſta ſalutari Crucis Signo ipſis ominanda ſuppliciter inuitant. Inde poſtmodum non ad vrbanos tantùm Conſeruatores, uerùm etiam ad alios principes uiros, præſertim verò ad eos, qui Pontificem ipſum cognatione contingunt, eadem planè pompa ſeſe conferunt: à quibus aut ſtrenas liberales referunt, aut lauto cibatu reficiuntur. Vſque adeo fœcundæ ſunt deſtinatę victoribus palmę, ut ipſis ante uictoriam geſtatoribus præcocem ferant cupediarum fructum. Ad extremum ipſa brauia ritè inſerunt Capitolio, concertaturos ad glorię triumphiq; faſtigium euocanti: & in Capitolini manus oeconomi tradunt. Iam verò Lunæ dies primos ſic euocat Iudæos è ciſt berino ſecluſorio ad curſuram. Matutiuo palmariũ è coccineo panno palliũ Capitolina proponitur è feneſtra. Pomeridiano tempore tubicines quatuor abeunt ad Iudæorum conſeptum, ac tubarum concentu monent, iam tẽpus eſſe crocea capita è ſynagoga prodire. Ecce autem poſt ęneatores incedunt equites Iudęi duo grandibus cum ramis olearum, noua ubertate penſilia non ſua poma ferentium, nẽpe aurantia, cupedias, & ſenatus populiq; Romani perpicta inſignia. Deinde honorarij

pedites

pedites ferè quindeni,gemino linteo à fronte atq; à tergo in ſeruitudinis argumentum albati, gerenteſq; pontificio ſtemmate inſignes clauas. Deniq; togati Præfecti quatuor,quos FACTORES ipſi nominãt, graui RABbinorum ſupercilio verendi, & promiſcuo Iudæorum comitatu ſtipati. Vbi Hebraicus Capitolium inijt magiſtratus, ad obſequiũ in aula publicè deferendum, & ad colloquiũ admittitur: ac dulciaria poſt paulo merẽda excipitur.Interim canoro tubicinis accitu Prætor vrbis cum præcedente haſtatorum famulitio, & equeſtri honorario pubere clauam geſtante, cumque ſubſequentibus officiorum adminiſtris venit ad Capitolij radices. Tum obuiam occurrunt cum Senatore Conſeruatores, minorumq; gentium magiſtratus: atq; hoc agmine procedunt. Duces agminis ſunt, manibus numeroſo pulſu vocalibus,tympanotribæ. Conſequuntur prædicta diſpoſiti ſerie Iudæi. Proximum his curſionis præmium oblongo in haſtili ſpectabile ab equeſtri apparitore geſtatur. Exinde fama non alis, ſed equo vecta,vt ore multiplici geniale buccinet feſtum, quaternos in tubicines transformatur. Poſtea dominos equis inſidentes pręit Prętoris haſtatus, Senatoris & Cõſeruatorũ clauas præferens famularis peditatus. Cõſpicui præterea ſunt equites bini, puberes aulici: quorum alter ipſius Prætoris, Con-

ſeruato-

ſeruatorum alter clauas argenteas gerunt, ſpecioſum poteſtatis præfericulum. Denique medius Senatorem inter principemque Conſeruatorum Prætor, ponè autem Conſeruatores cæteri, deinde Capitolini & Prętorij minoris notę Magiſtratus egregiè ſtratis in equis lenta pompa inuehuntur. Interim ædium vtrinque curriculo imminētiū ſingulis prompta de feneſtris aulæa diſcolorem fugaci ſpectaculo ſcenā ſuſpēdunt. Vt ipſa ſe domi cū dominis domeſtica ſupellex ad publicæ voluptatis legendum fructum exporrigere, ludiq; bacchanales ſericum ſplendidumq; riſum ex ore domorum feneſtrato elicere videantur. Ad hæc ante ipſas domos excitata innumera paſſim tabulata, ſpectaturo populo cōductitia, in tēporariæ vrbis incrementa conſurgunt. Cętera multitudo curriculi latera ſic obſidet ſtipatq: vt eam verè è lateranis aut lateronibus conflatā dixeris. Ita digreſſum è Capitolio agmen tubarum inter ac tympanorum iucundè obſtreperam harmoniam per medium ſtadij curriculum incedit ad Sācti Marci plateam, quæ ipſorum meta curſorū eſt. Hìc in ædib⁹ eiuſdē S. Marci editam ad porticum Prætor, & cum Senatore Conſeruatores, & Magiſtratus cęteri ſuccedunt. In eius angulo quotannis conformatur ex aulæis cubiculi ſpecie, pulcherrimiſq; ſellis inſtruitur tentorium : vnde curſuram illi

percommodè proſpeciant, ac proſtet publico affixum ſpectaculo brauiū. Interea Legatus Venetus hoſpitibus opiparū & planè regium antecœnium daturus, diſcos mittit argenteos diuerſis conſertos bellarijs, cum vini generoſi oenophoris compluribus. Dum hæc aguntur, innumerabilibus omnis conditionis mortalibus arena ſtadij feruet, vltro citroq; citra curſum diſcurrentibus, occurſantibus, concurſantibuſq; alijs pedeſtribus, equeſtribus alijs, alijs verò curulibus: quorum permultos adiecta larua vel emaſculat in mulieres, vel certè ridicularios in Bergomates, aut Neapolitanos, aut Bononieſes, aut Venetos decrepitos, alioſue ſcurras & ludiones vultu, geſtu, ſermone habituq; transfigurat. Ita quæ cuiuſque in pectore latet Circe, ſeu voluptas, ſine magicis cantationibus facies humanas in varias formas deformat. Ita nou' ſibi quiſq; Pythagoras eſt: quia ſi non animæ vera, ſaltem ſimulata natiui oris in os alienū migratione degenerat. Poſtquam facetijs atq; ſcurrilibus toto, quā longè porrigitur, curriculo recentia diu Hilaria celebrata ſunt: poſtquam riſiones & cachinni plusquam in ridiculis Apuleiani Riſus ſolēnibus ebullierunt: ſub diei ſerum lictorum præfectus publicæ decurſionis facultatem à Prætore de platea rogat: exinde curſim ad carceres contendit. Inter hæc turbam lictores ar-

Apul. Metamor. l. 3

ctiſſimam

ctiſſimam de medio curriculi ſpatio in latera ſummouent. Iamq; ad carceres, nempe ad Inſanabilium valetudinarium poſt prætentum funem nudi, non tamen ſine campeſtribus, octoni deniue ſtadiodromi Iudei, S.P.Q.R. charactere in frõte ſignati, cõſiſtũt. Et ſanè curſura decet in primis Hebræos, vt nomini ſuo re ipſa reſpondeant, dum curriculo tranſeunt. Hìc aſtant criminalium, & ciuilium cauſarum Capitolini iudices, ſuis è curribus miſſionem legitimã arbitraturi. Duo præterea ſunt viri nobiles, curſoriæ miſſionis inſtructores, quorum alter condicto tubicinem è nutu pẽdentem admonet. Vbi tuba increpuit, funis illico demittitur:

Signoque repentè
Corripiũt ſpatia audito, limenq; relinquũt
Effuſi nimbo ſimiles: ſimul vltima ſignant. *Virg. AEneid. l. 5.*

Tunc verò excitatiſſimis vulgi clamoribus ad præmium animari Iudaicam è carceribus fugam: & fugaces propelli curſores populi continenter exibilantis aura. Tunc alij petulanti è plebecula dicterijs fodicare: putribus alij coniectis malis Medicis laſſitudini malè mederi: alij pallijs incuſſis incommodè ſudorem detergere: nõnulli etiã incitatis cruribus virgarum ſtimulos adiũgere, aut cum veſtigio volucrem ſpem victoriæ improuiſa ſupplantatione deijcere. At contra Iudæorum natio diuerſo multiplicíq; de loco Stadiodromis ſuis voce, nu-

tu,geſtuq; ſubinde ſuppetiari, & animos vireſq; pro virili adijcere: & alius quidem ſic fermè hortari, Eia Bel-naſot perge, prę-curre: tuo congruentem nomini virtutiq; victoriam præcipe. At verò alius, Agè Maymòn: parum abeſt, quin: præuerte, prępuola:primos palmę fructus pedibus prę-cerpe. O factum malè! Politròn cæſpitans prolapſus eſt. Surge, feſtina, non indecoro luti tectorio ceruſſatus, totuſq; vel ſine pileo luteus, nudos potes ſuperare. Hęc aliaq; permulta ſuis addunt Iudęi curſoribus calcaria. Sed quanuis omnes hebraicis hortatibus extimulentur, bini tamen terniue duntaxat optatam perſeuerant ad metam, cæteris ſiue labore ſiue ludibrio delaſſatis. Deniq; victor plaudentium vociferatione ſpectatorum excipitur, interq; raucum tubarum gaudium præmio donatus per triũphum reuertitur in olidum acclamantium recutitotum theatrum: vbi ſtrena tubicines impertit. Sic hodiernus in curriculo triumphator fiet craſtinus tranſtiberinus ambulator, & ſulphuratorum venditor. Sic ſuis in ludis Roma primo Iudæos loco ludos facit. Cæterùm proximus dies Martis equini pecoris maribus fœminiſq; tum vernaculis, tum Africis priora ludit Equitia ob receptum Vrbinũ: eodemq; per curriculum proceſſu prædictos, ſine Iudæis, magiſtratus educit ad ſancti Marci palatiũ

ter-

terminale: quod & factitant trini reliqui curſuræ dies. Hæc autem equeſtrium carcerum forma. In altero latere arrectarium, inſtar vacerræ, tignum, medio quadrato foramine feneſtratum ſtatuitur. In hoc foramen ſtipes ſiue tigillum breue, quod noſtratis ad inſtar balliſtę manubriato mobili vnco intermeante præferratum eſt, ſic tranſuerſarium adigitur, vtrinq; vt in decuſſem extet. Vncus verò interiorem in partē, nēpe curriculum versùs, manubriū in exteriorem poſt arrectarium tignum vergit. At in altero latere ſucula, vnco æqualiter oppoſita, axe ferreo ligneoue in duo forata tigna vtrinq; accomodato ita ſuſtinetur, vt liberam habeat verſationem. Hanc circa vectibus verſatilē ductarius funis obuolutus aduerſum ad vncum extenditur: eiuſq; in anſam conformatum caput vnco ipſi committitur, & valida ſuculæ verſatione intēditur: vectibus demū, ne ſe remittat, aut vinculi aut paxillorum retinaculo ſtabilitur. Præterea ponderoſum ſaxū ferri plūbatura vncinatum proximè ſuculam appenditur, vt remiſſus ab vnco funis impetu trahatur ad terram. Poſt hæc ſuum quiſq; equiſo bene curatum, & panis nonnulla offa valido vino inſuccata affatim refectum in equum imponit aut ſeſſorem cum flagello puerum, aut ligneas pilas indito plumbo prægranes, ferreis vndiq; ſtimulis

aculeatas, & funiculis vtrinq; dependulas, qui craſſiori telæ, pice dorſo agglutinatę, inſuti ſunt: vt crebro incitent verbere currentem. Sic leuiter inſtructi, & fronté characterе de more ſtellati, nec non loca ordine ſortiti, poſt funis repagulum equi ſiſtuntur. Quanquam illi ſagina & indole alacres ſtare loco neſciunt: & crebris hinnitibus, omnibuſq; vngulis moram increpantes, in curſum prægeſtiunt. Deniq; is, qui laxando repagulo pręſidet, audito vix tubę ſigno, leuato manubrio vncum deprimit, vnde funis excluſus, pręgrauante oppoſiti ſaxi pondere, momento cadit. Tum equina cohors volucri fuga ex oculis euaneſcit. Tum non vnus alato tergo, ſed plures implumibus volatiles pedibus Pegaſi ſic properant, vt idem illis ſit carcer, & meta: idem pergere, & peruenire: ac præ ipſis claudicet, quanuis perniciſſima, tamen è longinquo ſequax, oculorum acies & animorum. Crederes ventos & fulmina catadromum decurrere. Parum dixi. Grandiloquo Statij carmine citiùs velocitatem aſſequar.

quæ tantum carbaſa ponto?
Theba id. 6. *Quæ bello ſic tela volant? quæ nubila cælo?*
Amnib⁹ hibernis minor eſt, minor impet⁹ igni:
Tardi⁹ aſtra cadũt: glomerãtur tardi⁹ imbres:
Tardiùs è ſummo decurrunt flumina monte.

Itaq; ipſa velocitatis voluptas ingrata eſt, quia momento tranſit. Victor equus, quã-

quam

quam inter acclamantium hominũ, interq; adſtrepentium tubarum plauſus palmam refert auri textilis, argẽtea tela ſubſuta pretiosè bicoloris: ſuæ tamen gloriæ ignarus & rudis, equino vilis paleæ ac neglectæ frugis epulo donatur. Nimirum oneri tollendo, & ſuſtuario tolerando nati,

Sic vos non vobis præmia fertis equi.

Die Iouis cum Baccho epulantis, & à geniali epulatione præpinguis, omnis ætas ludibunda, terna pedes ad brauia contendit. Primùm iuuenes ab Inſanabilium noſocomio, tum ſenes ab æde Sancti Caroli, poſtremò Caëtani Ducis ab ædibus pueri decurrunt. Vt hac potiſſimùm die, ſi vnquã aliàs, verè dicatur, Omnis homo currit. Victori præmium iuueni datur cærulei coloris holoſericum Damaſcenum: puero viride pariter eiudem texturæ holoſericum: ſeni demum ad ætatis frigidæ fomentum excalfactorius rubro colore pannus. Die lunæ, qui bacchanalium diem vltimum antecedit, ter ſtadium decurritur, primùm Africanis ab equis, à noſtratibus deinde maribus, nouiſſimè à fœminis. Priore in decurſione præmium victoris ſunt nobiliſſimæ muris Pontici conſutæ pelles, quibus ſubſuta eſt ſerica virentis coloris tela prætenuis: in altera holoſericum villoſum purpureum: in tertia holoſericum villoſũ violaceum. Deniq; die martis curſura cele-

bra-

bratur itidem triplex. Primo loco permiſti Afris noſtrates vtriuſq; ſexus equi ob recuperatam Ferrariam ãniuerſario curſus certamine colludunt. Præſudatam victoriam remuneratur argentum textile ſubſuto cũ ſerico molliore. Ad hæc, vt ſuus ſit honos veteri prouerbio, deſcenditur ab Equis ad Aſinos: qui bacchanali die à clitellis & ſarcina feriati, & ad ruditum magis, quàm ad curſum, eruditi, tardigrada celeritate inter ſe certant, vt Silenis ſuis, & Bacchi nutritoribus, quippe aut vinitoribus aut vini amãtibus, aſininum cærulei panni brauium lucriſaciant. Sic bruti Arcadiæ actores ſine Plauto chorago perbellè Aſinariam ludunt. Porrò curſionis Aſininæ ludus tam lepidus eſt, vt ipſi etiam cælo decorus ſit, & cæleſtis in curriculo ſtadij gemini perpetim currant Aſelli, ſtellante præmio illuſtres. Vt mirari non habeamus, terrenos Aſinos vaſtis ruditibus, calamitoſam conditionem ſuam conqueri, quòd à curſura non impreſſo ſidere, ſed incuſſa rude donentur. Vltimæ ſpectaculum voluptatis eſt Bubalorum decurſio. Equo vecti complures ſtimulis bubalos adurgẽt, ſinguliq; ſingulos adnexo anulatis naribus fune pertrahunt. Vbi Sancti Marci plateam prope iam tenẽt, nonnulli grandium crepitaculorum ignea terricula, haſtilibus impoſita, currẽtibus intentant. Qui prior ſuum ſtipiti, cui brauium

affixum

affixum eſt, bubalum adalligat, victor panni rubentis præmio donatur. Vniuerſi porrò victores populari acclamatione decorati, ſe ſtos inter ac triumphales tubarũ tympanorumq; ſtrepitus priuata domorũ repetũt Capitolia: vbi, qui deduxerunt, æneatoribus ac tympaniſtis liberale ſtrenę congiariũ impertiunt. Hinc ludicro in curriculi Lyceo magiſtris oculis diſcimus, mortale gaudium lætis è carceribus triſtem ad interitus calcem curſim rapidèq; properare. Hactenus Caſſianus. Tum ego, nunquam putaſſem decantatæ veteri carmine paræmiæ,
Segniùs irritant animos demiſſa per aures, *Horat. de Ar. poët.*
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus,
recenti fidẽ exemplo abrogari. Nã tu Romani Stadiodromi ſpectacula oculis magis, quàm auribus, narraſti: vt adhuc inaſpecta mihi, te narrante, ſpectare potiùs crederem, quàm audire. Quare cũ ijs nihil demi poſſit, quę dixiſti: vnus mei labor erit calami facundiã tuã fideli deſcriptione metiri. Poſtquam erudito decurſum ſermone ſedentarij ſtadium percurrimus, ſuum quoq; ſol, curſor illuſtris, diurnum curriculũ confecerat. Ego bona cum Caſſiani venia, poſt vſitata officiorum verba, pedariam ſpiſſigradus, vt curſuræ ſcriptorem, decet domuitionem capeſſo.

SENENSIS PVGILATVS.

COLLOQVTIO II.

ALio die Caſſianum è curru deſilientem ad portam Flaminiā offendo. Qiò illum pedes, quæro. At ille, inuitat, inquit, tam directa & lata, tam celebris & planè regia via pedeſtrem ad ambulationem. Vis te comitem adiungere? Laſſis pedibus aſſecla currus ſeſſile obſequiū præbebit. Tum ego, do manus, inquam, & pedes humanitati tuæ, ne ſim inhumanus. Ego virtutis iſtius vmbra, ſtudio propiùs, quàm pede, comitabor. Neq; verò curru erit opus, vbi vehiculi vicarius, facundus eſt amicus. Nunc per me licet, inquit ille, tibi ſi lubet, deambulationis voluptatem ludi alterius narratione geminare. Appoſitè, inquam, tu quidem, & opportunè. Quis tamen è ludorū caterua prior occurret? Hæc ipſa, inquit, via, quæ Senas, tuā in patriam alios, iam Senenſem nos ducit ad pugilatum. Tecum libenter, inquam, in

in patriam redeo compendiaria faciliq; iucundæ commemorationis via: & Senenſis pugnæ pugnis pugnacibus inclytæ à multis mihi annis inaſpectum ſpectaculum, te narrante, ſpectabo. Quin etiam ſi quæ opera collatitia tibi ex vſu fuerit, è memoriolæ meæ promptuario in patriæ conſuetudinis mentione depromam. Tuæ quoq; memoriæ ſuppetet is, ait Caſſianus, facilè opus habebo, rem narraturus mihi perantiquam. Vt enim tenes, multos ante annos Senenſem pugilationem vſurpabam aſpectu, cum Senis admodum iuuenis, vtpote ſeptemdecim natus annos ciuiles cognoſcerẽ cauſas Iudex, vt illic vocant, ordinarius. Et adhuc memori obuerſatur animo ea pugnæ imago. Per dies bacchanales pomeridianis horis, vbi tuba cecinit, maius ac celebre in vrbis forũ patritiæ iuuentutis factiones biniẹ conueniunt: quarum altera litteris, alijs altera officijs, aũt etiã otiò genioq; ſtudet. Pilcolis hæc rubris, albis illa diſtinguitur. E pluribus, quę vndiq; ipſum in forum confluunt, vijs alterius aditum, qui ab accliuitate teretibus per interualla marmoreis gradibus molliter ſcanſili vulgò *Coſtarella* dicitur, propugnandum ſuſcipiunt litterarum ſtudioſi: alterius verò è regione aduerſæ, cui nomẽ eſt à Sãcto Martino, propugnatores ſunt à litteris alieni. Prius tamẽ harpaſto, ſiue luſorio folle velitatur, & ad incur-
ſaturos

ſaturos pugnos trudentibus calcibus proludunt. Is in medium proijcitur. Fit ab vtraq; factione concurſus. Certatim diſtrahitur, & abripitur. Modò manibus ſublimis, modò pedibus humilis in diuerſa protruditur: & vltrò citroq; atq; adeo in omnem partem ſine Archimedis machina per ludum orbis impellitur. Ecce autem aliquis callida manu corripiēs, tenacique brachio complectens, inter aduerſarios obſiſtentes lubricus, inter inſectantes volucris, aduerſæ partis metā limitēq; vel tactu, vel iactu eiuſdē follis attingit. Illico victor clamoſo impetu plaudentis aurę in cęlū extollitur: victi ſibilorum ſtridulo turbine ad extremam vſq; ignominiam profligantur. Hìc ego, bona, inquam, tua cum venia, Caſſiane, inſitiuum habeo ſpectaculū interfari, quod patrio vocabulo *Serra* nominatur, è tenui origine, vt alia pleraq; in conſpicui ſplendoris magnificenriam amplificatum. Narrant enim, diſcipulos prioris æui nonnullos bacchanalibus diebus incompoſitè inconconcinnèq; laruatos ad publicum Lyceum per aliquot annos excurriſſe, ac noſtrate ſermone licenter, *Serra Serra*, conclamaſſe: vt nimirū, clauſo Lyceo, præmatura ſtudiorum interſtitio indulgeretur, efflagitantes. Inde rude ludicrum perſonatas in pompas eruditè ſplendidèq; degenerauit. Nā creatis in eam rem Duce, eiuſq; legato atq; ſigniſero,

gniſero, aut veteris aut nouitiæ poëſis inuento excogitatę fabulæ, biduò per vrbem ambulatiles exhibebantur. Silens Heroum peditatus, diſcriminati ornatus inſignibus ſatis argutus, longo ordine præcedebat. Deinde in auro argentoq; illuminatis vehiculis curulis poëticorum concentus Numinum ſequebatur. Cęterùm æmula ſtudioſorum pompæ, genio ſtudentium ingenioſa opulentia nihilo minore apparatu totam pariter vrbem peragrabat: donec ſecunda ſpectaculi die ad decimum ſextum Calẽdas Februarias in forum vtrique conuenientes perpicti harpaſti certatorio ludo vrbanum gaudium concluderent. Par gaudio impendium. Quippe ſumptuoſæ veſtes, & lautæ cupedię, quas ciuibus officiosè adeuntibus genialis magiſtratus apponebat, marſupia exenterabant. Delectatus Caſſianus opportuni ſermonis peramœno diuerticulo, ad inſtitutã demum rediјt narrationem. Igitur vbi harpaſti velitatio, inquit, alternante plerunq; partis vtriuſque victoria, inter innoxia ſibila & feſtas acclamationes ſatis proluſit, ad ſuarum ſe capita viarum gemina recipit acies, manibus inermibus pugnatura. Etenim ſolemne ijs pugilibus eſt, contra quàm veteres conſueuerint, quolibet anulorum cęſtu exarmatis, & nudis compreſſiſq; digitis micare. Quin etiam vel caſu prolapſi, vel impulſu deie-

cti, ſurgere permittuntur impunes: vt noui Hercules ſuis cum Antæis ex æquo congrediantur. Iamuero ſua cuiuſq; agminis tuba ære bellico viros ciet, mutuiq; Martis flammas canoro ſpiritu accendit. Iam doctæ Palladis milites litterati voce, manu,& increpante moram tuba hoſtile agmen inuitant, & prouocant. Iam prouocatum, raucas minas reſpõſante claſſico, procedit. Iam toto è foro ſpectatores accurrunt, & pugnæ locum denſa vtrinq; ſerie ſtipant. Iam cõcurritur, & fit impetus. Iam varijs verè modis manus conſerunt: ſiue,vt poëticè dicam,

Virg. Aeneid.5. *Immiſcẽtq; manus manib⁹,pugnãq;laceſsũt.*

Mirum dictu viſuq; Omnes, quanuis rudes & idiotæ, ſine ſtrepitu vocis, dialecticis Barbare formæ pugnis ſtrictim, ſolidè, validèque argumentantur: & hi liuidum hoſtilibus oculis, illi contra cruentum naribus argumentum imprimunt. Libet, dum illi pulſant, iſta concinere.

Multa viri nequicquã inter ſe vulnera iactãt,
Multa cauo lateri ingeminãt, et pectore vaſtos
Dant ſonitus: erratq, aures et tẽpora circum
Crebra manus:duro crepitãt ſub vulnere malæ:

donec vtrinq; tundentium efficaci miraculo dextrarũ capita in tubera transformãtur. Quòd ſi victrice pugnorum petulantia repulſis propugnatoribus aggreſſores irrumpant: opima ſpolia ex officinis præ-

ſertim cibarijs atq; dulciarijs, niſi maturè præcludantur, non ſine lætabunda ſublatorum altè pileolorum ventilatione, & victos exibilante triumpho, ex aggreſſoribus prædatores exportant: ac veluti bellicam victores prædam, illa in vulgus miſſilia ſpargunt. Sin autem Palladij cōmilitones hoſtem repugnacibus, dentifrangibulis, ac denaſantibus pugnis retuderint atq; repulerint: re infecta indecorè abeuntem ſonoro ſibilorũ irriſu proſequuntur. Ita mutuis vtraq; ſeſe factio aggreſſionibus inceſſit: & quà victrix, quà victa, priſcum pugilatũ quotannis, inermi tamen & innocentiore certamine, inſtaurat. Ita ciuilis per ludum ſæuit amicitia: dum amicorum miſſilia non alia mala ſunt, quàm pugni: dum amicum fœdus icitur fœdis ictibus, vrbanæque fidei candor liuoribus viciſſim oppigneratur. Sed hoc bene feliciterq; quòd arietantiũ duro pugnorum ludo excitatis liuentibus tuberculis præſentiſſimum præſto eſt Senenſis ceruſſa remedium. Quare per vrbem paſſim cernitur facies non modò muliebris ad augendam, ſed etiam virilis ad recuperandam formam ceruſſata. Vt huic rectiùs vnguẽto, quàm Ouidiano, decantatum illud poſſit inſcribi, De medicamine faciei. Animis tamen ingenuis mederi nõ eſt, ludicro bello inuulneraris. Hæc ego, aiebat Caſſianus, de Senenſi memini pugilatione. Tuam hic

viciſſim

viciſſim, Ferrari, percontor memoriam, ecquos norit, mihi non ſatis cõpertos, moris huius bellici natales. Vtinam, inquam, tam facundus promus, quàm memor condus, tuam aſſequar memorabilem facundiã, qua Senẽſes pugnos auribus amabiliter ingeſſiſti. Dicam tamen. Audiui ſæpe de maioribus meis puer, & apud Senenſes hiſtoricos legi non ſemel duplicem ſuper hac origine ſententiam. Sunt enim, qui ſentiant, Senarum vrbem, magnæ inſtar parentis, Romæ, ab anguſtis initijs ſenſim augeſcentem cum ijs ipſis ſuburbanis aceolis, quibus ciuitate poſtea donatis mirum in modum amplificata eſt, ſolitam contermino in emporio, nempe litigioſo in foro ad veteris vrbis portam ſalariam, prędictę accliuitati appoſitam, ſæpe verbis manibuſq; rixari: atq; inde ad vetuſtæ conſuetudinis memoriam propagandam conſueuiſſe nouos aucto pomœrio ciues cũ veteribus ciuili pugnorum bello colludere. Placet alijs ad vrbis antiquitatem confirmandam fuiſſe pugillatoriam eiuſcemodi pugnam identidem ab Senenſibus vſurpatam. Poſtquam enimTarquinius Priſcus, captis Appiolis, latinum bellum profligaſſet, Circum maximum deſignauit, vbi ludos fecit ſpectatiſſimos. Ludicrum fuit, Equi Pugileſq; ex Hetruria maximè acciti. Semper autem celebrata Senenſium dos & vis in pugnis, ab

Orland. Malav. p. p. l. 2. pag. 12.

Iugur. Tom. p. 2. l. 2. pag. 83. Liu. Hiſt. l. 1.

Tar-

Tarquinio Senis accerſitos pugiles argumẽto eſt. Alium quoque ludum Senenſis antiquitas celebrabat, vt caſſide clypeoq; protecti claua dimicarent. Sed is ludus conſtituto publico interdictus eſt, ne manifeſto ciuium diſcrimine ac funerę luderetur. Contra verò conſultiſſimæ ciuilium opportunitatum patrię leges inermem ciuium pugilatum diuturno permiſſu indulgent, non ſolũ quia priuata multorum odia rixaſque citra vulnera & cædes innoxior hæc pugna dirimit,& Senenſis diſcordiæ pugnis vrbana cõcordia ſtabilitur: ſed etiam quia generoſę iuuentutis bellicoſa indoles hoc bellico ſimulacro & martiali rudimento abſolutiſſimę militię tyrocinia ponit, dum condiſcit in aciem ordinari, adoriri, hoſtem lædere, ſeſeq; tutari, ſtratagemata & inſidias inſtruere: deniq; dum obfirmatur ad ictus & vulnera fortiter vel inferenda vel excipienda. Igitur quid armata valeant manu, qui tantùm valent inermi? Neq; verò ſiculo concedunt Entello, bubuli cæſtus mortuis exuuijs vinum bouem|necãti, noſtri pugiles robuſtiores. Ex ijs ego vnum aliquẽ noui, qui gigantæo ſtatu, herculeis lacertis, & athletica totius corporis firmitate vel ipſos oculos propiùs cõgrediẽtes percelleret, nec Entelli coriaceis cęſtibus armato,ſed nudo duricorio pugno boues proſterneret: vt propterea ſingulari pugnorum duello cũ homi-
 nibus

nibus certare prohiberetur, ne cædis iuxta humanæ, ac vitulinæ reus eſſet. Enimuero hũc Hercule fortiorẽ exiſtimo, quòd vnũ ille, hic verò multiplicẽ cornutũ Acheloũ pugnis expugnauerit. Dignum præterea memoratu eſt, quod à noſtris ſenioribus, ſicut accepi, enarro. Cum Carolus Quintus, inter Cęſares Auſtriacus Mars, iter faceret Senis, Senenſis ludum pugilationis dari ſibi voluit: Iubet igitur è ſuis primarijs aulicis valentiſſimos in arenam deſcendere, quibus ſe totidem nobili loco nati Senẽſes pugiles opponant. Præfidunt illi magnitudine corporũ viribuſq; gladiatorijs, hi dexteritate vſuque pugnandi. Prima enim arietaria capitum, & pugnorum incurſione Germanorũ ſtomachum, & brachia contũdunt: vt hęc muſculorũ percuſſu torpeant: vt ille dura concoquere aſſueſcat: vtq; mẽbra vniuerſa doloris acerbiſſimo ſenſu obſtupeſcant. Tum verò excuſſiſſimorum creberrimo è ſatu pugnorum exteris in vultibus denſi vibices infelici germinatu protuberant: & pręcipitãtium grando verberum Germanicæ formæ calamitas eſt. Conantur quidem aduerſarij pugnis talionem reciprocare, ac paria paribus referre; ſed in medijs conatibus vires deficiũt animiq; debilitatis oppugnatoribus brachijs & propugnatore ventriculo. Ita qui victoriam ſpe deuorauerant, ieiuni effectu, ſaturi pugnis, facie tuberoſiſſimi, reuer-

tuntur

tuntur: Cæſare interim cachinnabilem in-riſum effuſiſſimo. Num potuit Senenſis pugilatio feſtiuiùs, quàm gaudio plauſuq; Cæſareo terminari?

FLORENTINVM HARPASTVM
SIVE
CALCIS LVDVS

COLLOCVTIO III.

CAEperat Caſſianus Senis Florentiam demigrare, hoc eſt a Senenſi pugilatu ad Florentinum harpaſtum traijcere: cum aſſequitur nos improuiſus, atq; poſt officioſam ſalutationem ſe viæ comitem adiungit Ioãnes Baptiſta Donus, vir in primis eruditus, deq; re muſica & veteri & recẽti, edito volumine, præclarè meritus. Repentino eius aduentu mecum exhilaratus præmodum Caſſianus, opportunum, inquit, nobis donum ipſa te, Done, felicitas obtulit: tuas vt partes, quas ego ſuſceperam, tute meliùs exequaris. Tum Donus ad hec, Mearũ eſt partiũ tibi eſſe obnoxium. Has quì ſuſcipere, mihiq; preripere potueris, nõ video.

De humaniſſima iſta lite, ait Caſſianus, agemus aliàs, cũ otium fuerit. Nunc inſtat Florentinus Harpaſti ludus enarrandus: quando Hetruſcos ludos in Hetruſca via perſequimur. Hunc nemo te pleniùs edoceat, cui parens Florentia ludendi peritiam, erudita facundia dicendi ſuppeditat elegantiam. Porrò in eo, qui ponè ſequitur, curru ambulatio ſedentaria (tibi ſi lubeat) ſermonem commodè promouebit. Iuuenilem, inquit Donus, Patriæ ludum id ætatis, vt vobis gratificer, narrando ludam perlibenter, ſed pedes. Harpaſti enim ludus curulis non eſt. Eundem igitur ludũ tripartitò tradam. Primùm veteris ac recentis Harpaſti diſcrimen, dein ludicri huius vetuſtiſſimum apud Florentinos natalem, deniq; ludendi genus modumq; monſtrabo. Harpaſtum in Græcia natum, ſui naturam ludi græco prodit vocabulo. Cum enim *harpazo* idem ſit ac rapio: is ludus harpaſto ſignificatur, quo pilam colluſores ſibi certatim præripere conabantur. *a* Quod autem Athenæi ætate harpaſtum, olim aut pheninda vocabatur *apò tis aphéſeos*, id eſt à proiectu, quia, qui luderet, longè iactaret: *b* aut phenis, & phénida, ſiue ſphénida à *phenàchizin*, quod eſt decipere: quippe aliò, quàm quò ſimulabatur, immiſſa pila improuidũ fallebat. *c* Eius inuentorem Iubas Mauruſius Pheneſtium ludimagiſtrum facit. *d* Nomen eidem phenni-

Harpaſti etymõ, & nomina varia.

a *Dipnoſoph. l.1. c.xi*

b *Clem. Alexã. Pædag. l.3.c.x. Iu.Pol. onom.l. 9. c.7.*

c *Athenæ ibid*

d *onom. ibid.*

dæ

dæ à Phennido Iulius Pollux imponit. Miror eſſe, qui medium ſomniẽt hoc pilę genus inter paruam magnamq; pilam: vtq; Sipontinus putat, paganica maius, minuſque folle: cum grauiſſimi ſcriptores, *a* Clemens Alexandrinus, *b* Galenus, *c*. idemq; Pollux paruis adnumerent. *d*. Veriſimile eſt, hanc, cęterarum inſtar, cõſutis pelliculis foris coriaceam, incluſo tomento intus laneam fuiſſe, nempe poſthumam & pręposterã pecudis filiam, quippe quę corio lanam ſupponeret. Cęterùm ideo vocat *e* Martialis harpaſtũ puluerulentum: quia locus in Sphęriſterio luſioni huic dicatus lapide nullo, aut latere ſternebatur, ne ludentium veſtigia lubricus falleret lęderetue. Quare molli ſolo pauimentatus innocentem aſſiduo ab attritu puluerem excitabat. Niſi ſuſpicari quis malit, lapideum aut lateritium pauimentũ parco fuiſſe puluiſculo inſperſum, qui reſilientẽ pilam non retardaret, pedes verò conſtabiliret. *f* Pilę ludo ad calida balnea preparãte nudi ſępius exercebantur: deinde ſtatim lauabãt. Iam ipſam ludendi rationem, ſiue ludicram ſphæromachiam, quam epiſcyrum aliquis appellat, in graphica veterum Scriptorum narratione videamus. *g* Binæ iuuenum turmę, numero & virtute pares, è regione diſpoſitę intra totidem lineas terminales, ſiue metas cõſiſtebant. Extinde media inter eaſdem turmas linea ducebatur, quam

a *Ibid.*
b *lib. de ludo paruæ pilæ c. 2*
c *Ibid.*
d *Hieronym. mercur. de art. gymn. l. 2. c. 5.*
e *lib. 3. Ep. 19. l. 7. Ep. 31.*
f *Mercurial. ibid. Gal. ib. Mart. l. 7. Ep. 31.*
Ludẽdi forma.
g *Iul. Poll. ib Sipont. Al. ab Alexã. genial. dier. l. 3 cap. 21.*

ſcyrum vocabant: eiq; impoſitum harpaſtũ quiſq; contendebat aduerſę intra lineæ ſpatium, trans hoſtile agmen, immittere. Eam lineam qui harpaſto contingerent, victores abibant. Itaq; dum pilam certatim nitebãtur arripere, alij alios proturbare, protrudere, proſternere: ac pleriq; omnes non indecoro puluere & ſudore ſordeſcere. *a* Ex ijs, quæ hucuſq; diximus, conficitur, harpaſtum celeres vehementeſque inter exercitationes numerandam eſſe: quippè quo corpus attenuatur, augeſcit calor, ex integro robur vireſcit, brachia in primis humeriq; roboraſcunt. Quinimò pugnaciſſima congreſſio ad mutuam prohibendam pilæ capturam eademum ludi pars eſt laborioſiſſima, vtpote cum athleticis motibus niſibuſq; cumq; totius fatigatione corporis coniuncta. Idcirco vt proſperè valentibus & robuſtis harpaſtũ valetudinem vegetat, & robur affirmat: ſic ijs, qui ſunt capite colloq; imbecillo, qui obnoxio thorace, qui renibus lumbiſq; prę-ſeruidis, magnè officit. Vt intelligamus, plenum hunc laboris, & ſudoris ludum non puerorum aut ſenum, ſed virorum fuiſſe, iuuenumq; qui lacetis vigerent. Illud habeo poſtremo loco ſubijcere, in eo luſu curaſſe priſcos, vt omnes corporis motus decori forent, quiq; palęſtram ſaperent: qualis celebratur a Demoxeno apud *b* Athenęũ adoleſcẽtis cuiuſdã ſeptemdecim annorũ in ludendo

a Gal. ibid.

Labor

Vtilitas

Noxa

Cõcinnitas

b *lib.* 1. *cap.* 12

dendo

dêdo concinnitas. Hìc ego non potui, quin Doñi veterem in re noua, ſeriam in ludicra, & multiiugem eruditionem demirarer. Is autem cæptum ita ſermonem perſequitur. Poteſtis hinc vetuſti ac recentis harpaſti diſcrimina interpretari: quorum illud inſigne, quòd vetus paruam pilam æquabat, recens verò modicum tumeſcit in follem. At vnde, & quo tempore inuecta Florentiam eſt nobiliſſima exercitatio? Sanè originis obſcuritas vetuſtatis argumento prçclarè indicat, ab Romanis olim ſecum ſuorum deductam fuiſſe ludorum coloniã Florentinam in vrbem, noſtrumq; in Arnum id exercitationis a Tiberi corriuatum. Hic autem ludus, quẽ Priſci variè. nominabant, nouum iam nomen habet a calce: quia &ſi pugni ſæpius, quàm calcis, ictu follis vltra hoſtile vallum impulſus victoriam parit: huic tamen ludo nomen pugnus nõ facit, ne pugnorum conflictu pugilatum Florentia, non harpaſtum ludere videatur. Inuolutam eius notionem ita definiens aperio. Florentini calcis ludus publica eſt exercitatio primariæ iuuentutis, quæ duas in acies pedeſtres & inermes diuiſa, amicè venuſtèq; certat vnico mediocris & aërij follis ictu oppoſitam metam gloriæ cauſa traijcere. Cum ludo huic exercendo areæ conſeptum excurrere in longitudinem debeat cubitis ſeptuagenis binis ſupra centena, in latitudinem verò Senis vltra octogena,

Origo apud Florẽtinos

Recens á calce nomen

Definitio

Locus eiuſq; dimẽſio

gena, vt ciuium frequentia celebrari conſpicíq; poſſit: percommodum theatrum Florentiæ pandit platea & perampla & percelebris, ex quadrato longior, patricijs ædibus coronata, quam Sanctę Crucis ædes ampliſſima ſuo nomine impertit. Mediam aream tigilla vallant arrectaria, bicubitalia ferè, rara, & in teretem rotunditatē dolata, tranſuerſis temonibus ſiue longurijs iugata, ab ædificijs intermeante lato itinere ſummota, dupliciq; ſerie inter ſe nonnihil diſcreta, quò ſpectantium multitudinem includant ac tutentur. Huius conſepti latus alterum è longioribus nomē ducit a Muro, cuius (vt ego interpretor) ſpeciem continentes ædes præbent: alterum a Foſſa, quam viciná decliuitas repræſentat. Colluſores deliguntur quatuor minimùm & quinquaginta, duas in acies tribuendi, numero, & virtute pariles. Ab anno duodeuiceſimo ad quadrageſimum quintum idonei ſunt ad ludi labores exantlandos: quibus tolerandis impar eſt cum puerilis ætas, tum ſenilis. Neque verò totum vegeta in ætate momentum. Non enim facie foedi, corpore diſtorti, genere plebeij, curta re domeſtica mendiculi, moribus inquinati, qui videlicet marſupio famæq; decoxerint: ſed ab aſpectu decori, membris validi, agilitate motuq; corporis ad omnem elegantiam compoſito, planè palæſtrici, natalibus conſpicui, opibus floridi,

Colluſorum numerus

Ætas

Cōditio

indole

indole generoſi, educatione probi, ad ingenuum ludum, quem Heroes quoque olim exercuerint, admittuntur. Sed multo ſudandum labore ludicrum menſes amat hibernos, quia ſudor & laſſitudo per æſtiuos feruores intolerabiliter augeretur. Quamobrem ab Ianuarijs calendis ad menſem vſq; Martium Calcis ludo indulgetur: cęterorũ ceſſatione menſium reſpiratur. Cęterùm quia ſpectaculum ſpectatorum celebritate decoratur, per bacchanales tẽpeſtiuiùs dies, quibus ad ludicra ſpectanda inuitamur, ſolemnem in modum luditur. Hora luſoria eſt vergente in veſperam die, (vix enim laborioſiſſimus ludus produci horariũ vltra ſpatium poteſt) vbi nimirum, ſilente publicorum fluctu negotiorum, alcedonia ſunt in foro: cumq; ſol, illuſtris luſor, ſplendidã ſuã pilam occiduas impellit ad metas, alio in orbe ſplendidè luſurus. Veſtem luſores adhibent habilem & expeditam, non aliam nempe, niſi thoracem ſimplum, femoralia, calceoſq; pertenues, atq; pileolum: vt agiliores ad motum curſumq; ſint. Student pręcipuè ſpecioſa in veſte cõſpici, ſcitè graphicèq; ad corpus apta: quia cum debeant ſpectaculo eſſe primoribus cum viris tum fœminis ciuitatis, ſi veſtitus inelegans eſſet, deformem ſpectatoribus pręberent aſpectũ, ac deſpicatui ducerentur. Quò enixiùs curant, vt ſemet ornatiores aſtantium oculis offe-

Ludi tẽpeſtiuitas

Hora

Luſorũ veſtitus

offerant celebri die, quo pars vnaquæq; veſtitu quidem conſimili exornatur, ſed peculiari tamen colore diſtinguitur. Conducit hoc loco diſcere, harpaſti calciſue ludum peragi aut profeſto more, aut ſolemniore pompa. Cum ſolemniter luditur, ſupradictum ornatum induunt è ſerico raſili, aut villoſo, aut ex argento auroue textili, prout condixerint: vel certè ſimpliciore diſcrimine pileolum duntaxat, vel thoracem, vel caligas afferunt diſcolores, aut quid aliud, ad factionis indicium. Cum bicolore factiones habitu diſcriminantur, is ludus dicitur diuiſus. At in ludo moris citra pōpam vſitati & profeſti amictus arbitrarius & promiſcuus permittitur. Eiuſdem verò gratia ſic luſorum habetur delectus. Tympanorum tubarumq; ſonoro vocatu patrij roboris ceſſans pugnacem ad ludum inuitatur alacritas. Tum conſuetam in arenam vndiq; confluentes lectiſſimi viribus & agilitate iuuenes confertam ordinantur in coronam. Illic vnus aut alter eligitur emeritæ peritiæ ſenior, vel certè geminus ludendi dux, qui luſorum vim indolemque percalleat: qui, poſtquā ſingulos oculis animoq; perluſtrarit, ſuæ quenq; claſſi meditata & penſitata diuiſione attribuat: ex qua ludum calcis diuiſum dici nonnulli putant. Et primùm quidem pro quaq; acie quaternos deligūt Datores, ſiue Miſſores anticos,

Duplex ludi genus

Agminis delectus

qui

qui valido datatim ictu vitoſam longè pilam eijciant, lacertis nempe ſtaturaq; præſtantes: & priorem, qui Foſſæ latus aut cornu regat, agilem callidumq; in tempore pilã excipere, ſcitèq; remittere: alterum, qui Muro præſit, robuſtiſſimum, eandemq; pilã vaſto ictu ferire pollentem: duos prçterea, qui medium inter hoſce locum obtineant. Ad hęc ternos Datores poſticos, curſu prçceleres, animo prçſentes, prævalidoſq; percuſſu procul follem propellere. Tertio loco Turbatores quinos, proceros, toroſos, æquantes robore corporis vaſtitatem, præferoces, ludique prudentiſſimos: ſed Muro præpoſitum, præ alijs lacertoſum & valentem: eũ verò, cui Foſſę tuendæ cura demandata eſt, velocitate, dexteritate, ludendiq; prudentia inſtructiſſimum: medium curſu bonũ: reliquos vtrinq; duos ferociſſimos. Deniq; Præcurſores minimùm quindenos, ternas in turmas diſtributos, ætate florentes, pede celeres, animorum plenos. Iam ſuum quiſq; agmen ſic Ductor inſtruit. Primũ ſtatuit Perturbatores quinos ab sũma parte poſtici valli diſtantes cubito vno & ſexageſimo, inter ſe autem ſexto decimo, & ab eiuſdem valli lateribus vndecimo. Secundùm hos altera in ſerie Datores anticos, à Perturbatoribus diſcretos cubitis duodeuiginti, à ſe inuicem vno ſupra viginti, à laterum vallo vndecim & ſemiſſe. Poſt

Diſpoſitio

quaternos Datores anticos, vltimo loco poſitos Datores ternos, ab anterioribus deiunctos vlnis pariter duodeuicenis, inter ſeſe tricenis, vtroq; à conſepti latere ternis denis. Pręterea tres in acies diſponit Antecurſores. Primam ſiſtit ante Turbatorē, Foſſæ cuſtodem, alteram ante Muri prēſidē, tertiam deniq; inter has mediam, ex iuuenibus conflatam pernicitatis indefeſſæ. At quando bicoloris cum veſtis diſcrimine ludus magnificentior eſt exhibendus, non luſorio in foro properanter, ſed in alicuius ædibus viri primarij bina luſores in agmina conſideratiùs diuiduntur, dieſque ludicri condicitur. Ante tamen ſigniferi creātur puberes duo, nobilitate, opibus, & ore præſignes, qui matutino ſolemnis diei concolorem aſſeclarum colluſorum habitum induti, ab ijſdem honorariam præbentibus cateruam per vrbem deducuntur. At ipſi deinde opiparo ſuos epulo ſectatores excipiunt: eoq; ſtomachi lauto commeatu militantem laborioſo ludo calcem corroborant. Poſt hæc arrepto Duces vexillo, dum mortua tympanorum coria modulato ſub ſuſtuario muſicè queruntur, agmen promouent in theatrum. Illic poſtquam vterque Signifer dexterum inter ſe locū ſortiti ſunt, binę coniūctim acies hoc ordine procedūt. Priores ducunt agmen tubicines, tum tympanizātes. Hos cōſequuntur Prodromi ſiue Ante-

Solemnioris ludicri apparatus

Proceſſus in arenā

Antecurſores bini, vel manibus viciſſim amplexi, vel ſericæ faſciæ copula vtrinque apprehenſa ita conſociati, vt dexter, propter exemplum, albatus cum ſiniſtro purpurato coniungatur; & ſingula paria, inſtar luſoriæ latrunculorum tabulæ, coloribus alternent. Præcurſoribus proximi Signiferi, non ſine anteambulonibus tympanotribis. Succedunt his Turbatores: tum Datores in acie primùm ātica, deinde poſtica. Ex anterioribus autem qui à Muro nomen habent, luſorium follem factionis vtriuſque colore perpictum preferunt, vtpote in ludo præſtantiſſimi. Claudunt agmen veſtitu laruaq; tenus Medici bini, ſeu quaterni, extemporales & iocabundi, argenteis pateris ceruſſam geſtantes in grumulos caſtellatim diſtributam, quæ pugnis impreſſa liuida monumenta, cum vſus fuerit, efficaciter emaculet. Hac ſemel pōpa obito intra vallū martiali cāpo, ſalutatiſq; identidē amicis, & ante Magnum Hetruriæ Ducem, qui ſolet aliquando magnificè inſtructo in ſuggeſto ſpectaculo intereſſe, corporibus vexilliſque proclinatis, in ſuam ſe quiſque ſtationem, quę ſorte obtigit, recipiunt. Sed antequam acies vtraq; in arenam deſcendat, ſublimia & honorifica in ſubſellia medię ad areę latus ſex Iudices, eius palæſtrę milites veterani, conſcendunt, res ludi controuerſas arbitraturi. Ecce autem ferox etiam in ludo Mars Certamen

ſonoro

ſonoro tubarũ typanorum q; clamore moras iucrepans, inerme imp erat belli ſimulacrum. Tum Pilarius, vtriuſ q; factionis veſtitu bicolor & biformis, non vnius colore ſemiformis aut ſemiuir, nempe homo indifferens, medius, communis, & neuter, inter coronam vtranq; Pręcurſorum, qui Murum tuentur follem æquo validoq; iactu impellit in medium. Illico vtrinq; accurritur: vtriſq; fit à Pręcurſoribus impetus ad ipſum follem occupandum: interq, pedes deprehenſum leui calce pedetentim promouere quiſq; certat oppoſitum ad conſepti caput ac metam. Interim ſtrenuè ſuas Turbatores obeunt partes, dum aduerſarios, ne irrumpant, aut complexu remorantur, aut impulſu repellũt: dum poſticas factioni ſuę ſuppetias ferunt, opportunè retro acto pedibus folle, vt vehementi Datoris ictu trãs oppoſiti valli metam emittatur: dum prętereà Datori follem tranſmittẽti validè pugnaci corporis obiectu hoſtiles defendũt incurſus, ne quis videlicet Antecurſor follem ferientis in collum aut brachium inuadat. Cæterùm hoc Datoribus eſt vtriſq; ſolemne, vt ſiue humi volubilem, ſiue cęlo volucrem excipiunt follem, præpropero excuſſiſſimoq; percuſſu repulſent. Quin etiã ſępius continuatis vtrinq; ictibus datatim ludunt, vt in hoſtilem ditionem paulatim gradum inferant, non ſine ingenti theatri

plauſu

plauſu & voluptate. Sed cautio eſt, ne fol-
lis imprudēti vltra conſepti latera ictu pro-
pellatur: quòd eius errati bis admiſſi pœna,
victorię diſpendium eſt. Quòd ſi hoſtilium
Pręcurſorum manus anticum in Datorem
inuolet: confeſtim is follem ad poſticū miſ-
ſorem aliumue ad ſocium cauto callidoque
calce traiectat. Si tamen aduerſarij valen-
tiores admotis ordinatim caſtris in vltimas
metę anguſtias & follem & hoſtem cōpule-
rint: tunc enimuero inter ſpem & metum
enixiùs de verſatili victoriæ pila pedibus
manibuſq; certatur, & pro ipſo pugnaciter
orbe contenditur. Iamque victor aliquis,
Atlante robuſtior & Hercule, altè ſubductū
orbem, non baiulo ſuccollans humerò, la-
boriosè geſtat: ſed calce aut pugno trans
metę Abylam & Calpen per ludum expul-
ſim iacit. Porrò factio triumphatrix ſubli-
mi explicatoq; militari ſigno ad oſtētatio-
nem triūphi, hoſtilia in caſtra inuadit: triū-
phatricis cōtra in ſtationem conuoluto in-
clinatoq; vexillo triumphata concedit.
Quę pluries prędictum cōſepti limitem fol-
le tranſilierit factio, ea victirix nō ſine plau-
dētium ſpectatorum admurmuratione diſ-
cedit. Victorię cauſa, vltra lineam follis
expulſio Italico iam ęuo *Caccia* nuncupa-
tur. Triumphali non rarò debacchante
lętitia victores ſua prodigè vexilla con-
cerpūt. Nonnunquā etiam aduerſùs inur-
banos

nôs luſores gliſcit ipſum inter ludum ira: & maſcula bilis à iecore non concitur duntaxat in naſum,ſed in manus quoq; ad pugnã prurientes: vt pro folle iam ora feriantur, & pugnis tũdentibus capita deformẽtur in pilas. Sic harpaſto in pugilatũ repentè mutato, fiunt omnes Datores. Protinus aduolant non è longinquo cęli concilio, ſed è proximo luſorum agmine conciliãdæ pacis interpretes, vrbaniq; caduceatores, humaniſſimi Mercurij. Accurrunt etiam non ex inſula Coo Pergamoq; alienigenę, ſed ex theatrali conſeſſu noſtrates cũ ceruſſa Hippocrates & Galeni perſonati, ocularium vibicibus medicinam adhibituri. Tum tranquillato breuis ęſtu furoris, ciues magis inter ſe amant, qui amicos memorabili vibicum monumento in oculis ferunt. Viſendo quoque ſpectaculo ſępe ſic exercetur in ludo curſus, vt, rapta currẽtes metam versùs ventoſa pila, inter occurſantium remoram non pedibus, ſed vento ferri, aut ventos ipſos humano vultu exiſtimes currere perſonatos. Quin etiam ad harpaſti cumulandam athletico certamine voluptatem, Pręcurſor aliquis obuium obnitentemque immani corpore Turbatorem ſiue Turbalionem, aut etiam Datorem ſubdola dexteritate ſupplantat, ac deturbat ad terram, corridente vniuerſo theatro ac demirante, mole ſua ſtantes & fundatiſſimas leui gigãtęas

tęas impulſu deijci & ruere columnas. Sic illi calce follē trudunr, & diem. Sic hominum vita viciſſitudinum pila ludentium eſt. Veſtrę iam vos humaniſſimę patientiæ tribuite, ſi veſtras eodem aures calce percuſſi. Dedit hunc recenti ludum in codice ſpectandum iucundiùs Ioannes Bardius, Vernij Comes, cum in hac, tū in alijs ingenuis curis & ingenio promptus, & vſu exercitatus. Finem dicendi fecerat Donus. Tum ego. Tua quoque, Done, in primis erudita & culta Florentini Harpaſti deſcriptio digna eſt, quę immortaliter ludat in paginis: quęq; nigra typorū è nocte lucem ducat nominis inocciduam. Sic bono, ait Caſſianus, in lumine poſteritas vniuerſa in orbis theatro te ſuſpiciet, poſt edita grauiſſimis de rebus volumina, nobiliſsimo Patriæ miſcentem ſeria ludo.

PISANO IN PONTE CONFLICTVS

COLLOCVTIO. IV.

VIx ea Caſſianus, cum ad pontem Miluium deuenimus. Cõmunem illic amicum offendimus, Franciſcum Roſſerminium, ſolitarium, in ſaxo inſidentem, pontiſq; ſtructuram otiosè curioséq; oculis contemplantẽ. Huic ego, Salue Tiberine Pontane. Conuerſus ille ad nos, amicè conſalutat: meq; intuitus, An meum, inquit, tibi nomen, excidit in hunc profluẽtem alieno qui vocabulo appellas? At ego, te, inquam, ipſiſſimum Pontanum cenſeo, iterumq; pronuntio, qui pontem ampliſſimum attentiſſimo ſpeculatu ſedentarius dimetiris. Conſcius hic pons, inquit ille, veteris hiſtoriæ, memoriam tranſmiſerat nicam ad Conſtantini Magni cum Tyranno Maxentio triumphalem pugnam, & ipſius Tyranni ex hoc ponte pręcipitis, & ante ſenium depontani, decolorata cędibus Tiberina in aqua purpureum, vt eum Cęſarem decebat, naufragium. Hinc volucris

in patriam cogitatio, nonnulla ſimilitudine, repręſentabat ludicrum Piſano in ponte conflictum. Nihil poteras, ait Caſſianus, opportuniùs nobis aut iucundiùs cogitare. Supereſt, vt eiuſdem pontis certamen, dum reduces in vrbem curuli pōte prouehimur, eloquaris. Quin potiùs, inquit Roſſerminius, tute nobis ediſſeris, qui priùs Piſanum ludicrum, quàm ego vitalem lucem, facilè ſpectaueris, cum ad omnem laudem adoleſcens indoles tua, patrui Caroli Antonij à Puteo, probitate prudentiaq; ſpectatiſſimi Piſarum Archiepiſcopi, fauſtis in penetralibus educabatur. Tum Caſſianus ad hęc, Plumeſcens ætate memoria neſcio quò auolauit. Ergo recentiùs tibi ſpectatum ad te ſpectat patrium ludum noſtris vſurpandum auribus dare. Subijcit pręterea Donus, ſi exempla, quàm verba, magis flexanima ſunt, ſic peroro: Florentinum ego calcem nuperus narrator luſi. Tu meis inſiſte veſtigijs. Subriſit ille, & annuit: & vbi currū omnes vnà inſcēdimus, ſic exorſus eſt. Vetuſtiſſimi ludi huius, & Cæcubo Falernoq; vino diuturniorem ætatem ferentis, nobiliſſimā & auguſtā originem ab Adriano vſq; Cæſare nonnemo deducit: à quo, cum Piſas veniſſet, ibiq; ſubſtitiſſet aliquādiu, eum ludū Clauæ ſcutiq; appellatione, quòd ijs potiſſimùm armis luderetur, inſti-

tutum ferunt. Mos ille vires à longæuitate ſumens durauit ad Laurentium vſque & Ioannem Magni Coſmi parentem, vtrumq; Mediceum. Vterq; mutatis nonnihil armis plenam lethalis aleæ pugnam bellicum mitigauit in ludum: quippe ſublato vulnificæ clauę vſu, ſcuti longioris tutelam induxit. Attamen, vt priſci maneat moris veſtigium, cum Duces, tum alij Magiſtratus nonnulli claua ſimul & clypeo decernere permittuntur. Tanti verò fiebat apud maiores noſtros ludicra hæc exercitatio, vt edicto cauerint, ne qua illam, pręter Piſanos, ſubiecta regio, nominatim Sardinia, ea tempēſtate Piſis obnoxia, vſurparet. Iunioris eadem vetuſtatis originem habet apud alios. Aiunt enim Piſanos, vrbis partem clam inuadētibus Gothis, à fœmina, cui nomen Ghinſeca, monitos arma properè ſumpſiſſe, prædictoq; in ponte cōgreſſos impetum hoſtium propulſaſſe. Inde in eius memoriam victoriæ ſtatuiſſe, vt omnibus annis ea Pōtis pugna ciuium factione duplici luderetur. Deniq; ſeruatrici fœminæ marmoream ſtatuam decreuiſſe, quę viſitur etiamnum in via, quam a Sancto Martino vocitant in Chinſeca. Cæterùm Arnus, Tiberis fratris æmulator, quippe ſector liquidus vrbium, non tam Piſarū ædes, quàm ciuium animos interfluit, & ludicras diuidit in factiones. Hinc medius

Pons

Pons, quem Veterem appellant, vt partem vrbis vtranq; ſic mutui belli annua ſimulacra committit. Ferocem hunc ludum ludit ſuis, hoc eſt bacchanalibus tempeſtiuè ſerijs Bacchus Marte perſonatus. Sed primùm vtraq; dimicatura factio binos Duces, aliosq; militares creat Magiſtratus, veluti Legatos, Signiferos, Conſiliarios, Tribunos militum, Inſtructores. Quindenos ante cõflictũ dies totidemq; noctes vtraq; ſuos intra limites pars feſto celebrat gaudio expaſſorum, & militarem ardorem ventilantium vexillorum: tubarum, ac tympanorum, inanima vociferatione ad pugnam animos excitantium: concurrẽtis in plauſum & clamorem populi: nocturnorumq; luminum, publicam alacritatem inflammantiũ. Condicta ludicro dies matutino eorũdem inſtrumentorũ virili ſtrepitu bellica ciues prouocat ad Hilaria. Deinde armato proludit ludo explicati vtriuſque agminis vrbem obeuntis pomeridiana põpa. Plures in cohortes agmen vtrunq; diſtinguitur. Suum ſingulę Ducem, quem ſequantur, habent. Simul vario militaris inuenti ſpectaculo, ex hiſtoria vel ex fabula quapiam petito conſpicuæ, procedunt. Sic exempli cauſa, hęc Magni Macedonis horridum, illa barbarum Pori, alia thyrſigerũ Bacchi, heroicum alia Argonautarum exercitum repræſentat. Vtraq; factio à gemi-

na vrbis parte, quam ſpectat Septētrionalis & Meridiana nominatur. Vtrinq; inuicem miſſi bellum acuunt prouocatorij libelli. Præſtituta ad Pontem hora decertaturi Equites minimùm tercēteni è quaq; factione inſtructis agminibus conueniunt. Tranſuerſus medio in Ponte longurius, ſiue antenna verſatilis hoſtes dirimit. Sub ipſum prælium tutelaria induunt arma cataphractorum; ferream videlicet galeam, bucculam, collare, brachialia ſcorteis cum chirothecis, ceruino pilo ſuffartis, & protegendo par corpori ſcutum. Vt ferreas laminas in hominum ſimulacra martiali ſpiritu repentè animata, ſeu renatos è ſæuo Cadmi ſatu ferratos fratres in mutua moueri vulnera exiſtimemus. Iam verò cum æs cāpanum fori maximum dederit ſignū, quod Magni Ducis iuſſu, quando ſpectator intereſt ludo, dari ſolet: increpantibus moram tubis tympaniſq; prægrauantis vi ponderis ſuſtollitur, qui Pontem interiacet, antennæ obex, & atrox pugna conſeritur. Vniuerſa clypeis res peragitur. Illi munimentum, illi telum, obiectu tegunt, flictu proturbāt, & citra vulnus impetu impulſuq; debellāt. Vnis cōceſſa Ducibus & Legatis claua herculeo viam pondere ſternit ad victoriam. Cernere iam eſt, imminente pugnam in Pōte, quàm ſubiecto vndam in flumine, vehementiori reciprocatione fluctuātem, dum,

impli-

implicatis inter ſe agminibus, hæret pede pes, denſuſque viro vir: dum ſocijs ſocios gigantæam in molem, ſiue turritam in machinam conſertè contextèque ſupergreſſis, corpore ſummus, clypeo fulmineus, tanquã de cælo Iuppiter aliquis, hoſtes grauiſſimè tangit & allidit. Si qua laboret inclinetq; acies ab impreſſione hoſtili, ſociales illico alterius turmæ veniunt ſuppetiæ; bellumq; maiore niſu redintegratur. Iam quiſq; ſuo ſudoris fluuio, quanuis in ſicco Pontis, innatat. Iamq; aliquis valido crebroq; ſcutorum incurſu ſemianimis cadit, ac tantùm non exanimatur, quòd etiam cum morte ludit. Quin aliquis etiam præceps datus in Arnum letho enataret ad Lethen: niſi adnauigãtes in cymbulis nautę portitori Charonti prærriperẽt: terrenoſq; ac ferro ſquamoſos piſces, in humido periclitantes, celeri piſcatu ſiccam in patriam vitamq; reueherent. Et hìc, ne qua veri viciſſitudo belli bellico in ſimulacro deſideretur, victos captoſque captiuitas & armis & vexillis exarmat: deinde ſeruilis manumiſſio remittit inglorios. Deniq; agminum altero ſæpius propulſo exturbatoq; de Pontis anguſtijs, alterum gloriæ regno potitur ampliſſimo, & ludicro certaminis traiectu ſeriũ victoriæ trãſmittit ad plauſum. Quòd ſi Septemtrionali victoria ceſſerit factioni, ſignum ære datur campano publici Gymnaſij: Me-

ridianę verò victoriam forenſis campana promulgat. Et illico plaudunt claro clangore tubæ, obtuſoque tympana fragore: ac ſecundis acclamationibus perſtrepit multitudo: triumphus & gaudium ad multam noctem longè lateq; graſſatur. Victor exercitus per vrbem Capitolio ampliorem, geſtiente ac vociferãte hilaritate, triumphat. Ipſa etiam explicata victricia ſigna, vibrãte ſpiritu in linguas animata, vidẽtur triumphantibus admurmurare. Sed hoſtibus erepta cõuoluto pronoq; in terram velo contemptum ac vile trahuntur ad euerriculum. Armata claudit Hilaria conuiualis lætitia, epulum nempe publicum ab Duce datum. Neq; hìc diſſimulandum ſilentio eſt, conſueuiſſe Mediceos Principes, concorditer diſcordes, & inter ſe diuerſos, alterutri fauere factioni, pugnæ conſultationibus præſidere, conſilio manuq; animos vireſq: ſuppeditare. Hoc autem feroci ludo ab antiquiſſimis vſq; temporibus proluſere Piſę ſuorum ferijs ac triumphalibus ciuium certaminibus, quibus terræ mariſq; domitores, Sardiniæ in primis, Balearium inſularum, Siciliæ, Corſicæq; regna ſubegerũt: & in Hieroſolymorũ inclyta diuinaq; expeditione Godofredo Bollionio auxiliũm voluntarium & valentiſſimum attulerunt. Dixerat Roſſerminius. Nos plauſimus vniuerſi, & grates egimus, quòd narratione con-

concinna auditorum aures in oculos trāſformaſſet. Demum Hetruſcis à ludis reduces eadem Flaminia nos porta triumphalem in vrbem admiſit.

ROSCIVS RECENS

SIVE

DOMINICVS BVSSIVS VITERBIENSIS

RERSONAE

Io: Baptiſta Ferrarius, Hieronymus Buſſius

Fer. Quæſo te, mi Hieronyme, Tuſculanum hoc cęlum quàm ſalubriter affulget inualetudini tuæ?

Buſſ. Vt ſe res nunc habet, optimus id medicus eſt: nam leuem, iucundamq; ac planè cæleſtem puro tenuiq; ſpiritu mihi medicinam facit.

Fer. Agè igitur, quando deferbuit iam dies, domeſticis ex anguſtijs egrediamur, vitalis auræ medicatos & ſalubres hauſtus in apertis, opſonante famem ambulatione, largiùs captaturi.

Buſſ. En præſto ſum ad nutum tuum viator pedes

cum

cum Scipione, non Africano illo veteri vrbis Romæ, ſed ſiluæ Tuſculanæ filio iuniore. Quam tamen in tam multiplici viam inibimus? Minùs Hercules in biuio hæſitauerit.

Fer. Ambigēndum non eſt, dum vehementiùs,quā Virtus Herculē, Virgo Deipara hoc ſuo natalitio die inuitat,dexteram vt ineamus,quę ad ipſius ædem inuiſendam, à Crypta ferrata indigitatam, ducit.

Buſſ. Rectè pièq; mones. Eamus.

Fer. O ſi tertius viæ comes hìc adeſſet Dominicus frater tuus ſuauiſſimus, qui nuper mœſtiſſimis nobis præreptus beatum inter Cælites (vt reor) poſt exātlatam laborioſam mortalitatem otium æternitatis vſurpat: eius iteraret rogatu noſtro, huic opportunæ tēpori, de Diuina Matre naſcēte orationis recitationem, quam ferreo ſtylo à me ſcriptā paucos ante annos Romano in Seminario ad confertiſſimam lectiſſimamq; panegyrim tam lepidè habuit, vt in recenti puero veteres Roſcij reuixiſſe viderentur. Itaq; mirandum non eſt, ſi eo dicente vniuerſi attentis auribus, inconniuētibus oculis, ac ſuſpenſo ſpiritu pendebant: ſi deinde, poſt exhibitam in recitatione totius corporis eloquentiam, nemo vnus Principum virorum,nemo Præſulum fuit, qui tenerū oratorem diuturno complexu miriſq; laudibus gratulabundus non exceperit. Ex eo tēpore tragicis in theatris celebres primarū par-

tium

tium plauſus tulit, & Romæ lacrymas imperauit: cum vrbium Regina fictas illius vices, arte flebiliter fallente, miſerata eſt.

Buſſ. Ego etiam plaudente cum Roma fraternæ indoli ſæpiùs acclamaui, maiora de ſe in dies pollicenti. Sed quando frater toto iam cælo à terris nobiſq; diſtat, eius ego vices ſubibo.

Fer. An tu etiam illam memoriæ habes?

Buſſ. Arriſit adeo cum argumenti, tum ſcriptionis genus, vt memoria facilè perceperim, ac fideliter cuſtodierim.

Fer. Me verò ſic eius recordatio actionis flexanimæ delectat, vt à te iterari gaudeā, qui fratre non ſolùm es natu, ſed etiam indole grādior. Igitur qui præibas illum dicendi dexteritate, iam ſequere repræſentando, & fratrem ne deſere frater.

Buſſ. Præloquar, quod præſcriptum erat, orationis thema.

IN ORTV DEIPARAE HILARIA.

Iam ipſam perſequar orationem

Miſeret me ſolemnis lætitiæ veteris, quam Matri Deorum, vnis fabulis fœcundę, octauo Calendas Aprilis dicatam, Romana ſuperſtitio appellauit Hilaria: diemq; vernum, innocentibus florum delicijs lętiſſimum, flagitioſo gaudio funeſtauit. At quantum debemus

bemus tibi, menſis fauſtiſſime, September! cuiûs autũnitas oppidò frugifera diuinæ matris natalitio die ſacroſancta & ſaluberrima parit Hilaria: quando lectiſſimus Semptembris fructus, naſcens Deipara, mundo gaudium nuntiat vniuerſo. Hunc ego nuntium iuſſus vobis, N. N. anniuerſario præconio exponere, duo breuiter oſtendam, nempe cauſam, ritumque gaudendi. Quæ cum abſoluero, Virginalia ſatis Hilaria dicendo perſecero. Solet naſcente cũ fœtu maſculo gemella naſci lętitia. In fœmellarũ ortũ nõ it.ẽ.Cur igitur hodierni fœminę natales tantũ afferũt gaudij, quantũ virilis partus afferre non poſſit? vt non domum aliquam vel vrbem, ſed orbem exhilaret vniuerſum? Duplicẽ (opinor) cauſam tenetis, antequã dicam. Vtranq; tamen, quanuis compertã, quippe amabilem, expedit etiam prædicare: vt gaudiũ geminetur. Ea eſt feliciſſimi partus præſtantia atq; vtilitas. Erraui, cum geminam dixi. Vna eſt. Naſcitur Dei Mater. Hęc decora & emolumẽta continet omnia, quia Deum complectitur. Quid igitur citra Deum hac præſtantius fœmina, vel vtilius? in cuius opificio præpotens opifex infinitam videtur inſumpſiſſe potentiam: cum parẽtem efficere prętantiorem ſua ipſius Matre non poſſit. In ea enim diuinorum oſtentare ornamentorum profuſiſſimam opulentiã: & per eandem generi humano ſalutem facere

re decreuit. Quàm multa ex hoc fonte gaudia promanant! Iam in fœminæ natalibus ſummè gaudendum eſt. Vt gaudere magis liceat edito mare, is debet homo eſſe idemque Deus. Apage iam vetus prouerbium: Ignis, mare, mulier: tria mala. Ignominioſam hanc fœmineo generi notã abolet Virgo integerrima, quam coæua ſanctitas primitiui criminis fœliciter exhæredem fecit: virginali fœcunditati decorus filius, niſi Deus, eſſe non poteſt. Enimuero noſtra etiam Virgo planè cæleſtis, vera nẽpe Aſtręa, equinoctium conficit: dum Deum vtero ſuſtinẽs & veluti librans, cum homine componit: vt in Solem iuſtitiæ, humanis tenebris attemperatum, pariat. Quæ Solem parit, creat publicam voluptatem. Id qui non videt, indignus eſt, qui Solem videat. Hodie qui non gaudet, profectò digniſſimus eſt, qui ex rerum exulet vniuerſitate. Supereſt, vt, altero promiſſum loco, gaudendi modum tradam. Et mihi quidem prudenter ac piè factum iri videtur, ſi, quem ſuperſtitioſa immeritò vſurpabant morem, ad religioſa Hilaria traducamus. In ijs lugere non licebat. Quanquam ad ſuperſtitionis commiſerationem oportebat. In his verè non licet, quia riſus naſcitur. Veriùs enim Anna, anili defectoq; iam æuo puerpera, quã Sara grandæua, puellariter pariens, eas vſurpare lętiſſimas voces poteſt: Riſum fecit mi-

hi

Gen. hi Deus. Quidni riſus ſit Iſaaco melior, quę
21. non parentes modò, verùm etiã terras omnes, ipſamq; lætitiæ patriam, cælum, lætificat? Equidem crediderim, diuinam infantem, natalibus immunem lacrymis, conſpectæ primùm luci, nempe illius, quem ipſa paritura eſſet, Solis imagini, arriſiſſe: riſuque primulo ſua ipſius celebrantem Hilaria, læto nobis exemplo præiuiſſe. Publica inſuper dabantur ſpectacula, & ſacrificia fiebant. Et nos tibi, Mater, etiam dum naſceris, maxima, iucundiſſimum hoc ſpectaculum debemus, tuis vt moribus filij ſpectabiles ſimus: vtq; maiore Amoris hoſtia tibi pulcherrimè perlitemus. Tunc litibus tranquillatis, iudicijſq; ſilentibus, alcedonia erãt in foro. At quantò nos eſſe pacatiores condecet, cum pacis oritur ſequeſtra? Quòd hilaritas ludos amat, hos quoq; ſpectabant. Quos autem? eos nimirum, qui breuitate ſpectatorem & vanitate illuderent. Noſtræ fœlicitatis eſt, vt recens natam præſtantiſſimam puellam, non puellari & nugatorio, ſed admirabili diuinoq; more in orbe terrarum ludentem ſuſpicere poſſimus. Quicquid enim formoſi vel fulget in cęlo, vel floret in terris: puella hæc præ ſingulari ſua formoſitate ludos facit. Si vixdum nata ſic ludit, vt omnia vincat: quid faciet adulta? Si ſolùm prouiſus hic ludus in omni potuit æternitate Deum, ſe ipſo beatiſſimum, oblectare: quid-

ni

ni mundum, ærumnis magis quàm elementis coagmentatum, cum exhibetur, exhilaret? Solet vberem animis iucunditatem irrigare conuiualis compotatio: & epularum lautitia lætitiam ſaginare. Ea cauſa opiparis conuiuijs indulgebant. O nos tuo, Virgo, munere Cælitum in terris conuiuas! Siquidem per te corporatus, nobis eſt conuiuator & conuiuium Deus: ne in tuis beneficis natalitijs, grata dignaq; memoria recolendis, epularis deſit hilaritas: vtq; natalis lætitiæ cauſam ex epuli dignitate interpretemur. Deniq; ad ſolemnis gaudij ſignificationem, quiuis è populo cuiuſcũq; honoris inſignia licenter & impunè induebat: vt internoſci magiſtratus à ſimulatore non poſſet. Atqui ſimulato nobis opus non eſt. Naſcitur Mater, Deum verè effectura filium hominis: vt nos filij Dei nominemur, & ſimus. Ita priſca Hilaria, cum ſuperſtitioſo cultu olim indigna naſci, naſcente cum Deipara veram ad pietatem meritò renaſcuntur. At vnde repentinus hic, velut è longinquo tinniens auribus meis, clangor tubarum? Agnoſco ſonitum ac tubicinem. September is eſt, qui magna ex parte apud Iudæos ſacer, atq; (vt ait Origenes) ſabbathum menſium, Deiparæ natalem diem ab antiquiſſimis vſq; temporibus vocali tubarum gaudio præcinuit, diuerſiſq; ſolemnibus præcoluit. Iucundum fuerit in ijs quoq; poſtrema breuiter oratio-

ne

ne gaudia natalitia reguſtare. In tuis ergo Septembribus, Virgo Deipara, natalibus feſtum in primis tubarum clangoriſq; recolimus, latę inter cæli fragores in monte Sina diuinæ legis, & Iſaaci ſubrogato ariete ab immolatione liberati memoria, menſis eiuſdem calendis inſtitutum: quando per tuum virginale puerperium lex indicitur ſuauior, humanumq; genus ſupplicio ſubtrahitur sẽpiterno. Quin etiam geminum expiationis, ac Tabernaculorum ſolemne, illud quarto idus Septembris, hoc decimoſeptimo calendas Octobris recurrens, in hanc diẽ tibi natalem conuenire gratulamur: tu quippe naſcẽs, vocibus quidẽ infans, at beneficijs facũda, noſtris piaculis expiationẽ, mortaliq; peregrinationi ſolãtis vmbraculum patrocinij polliceris. Nos autem, quos ipſo tuo in ortu innumeris immortalibuſq; muneribus exhilaras, puella publicæ nata fælicitati, quandoquidem September gratijs agendis anguſtus eſt, perpetuam tibi tubarum clangoriſq; celebritatem agemus: hoc eſt, in tuas ſonora laudes, grata ſemper Hilaria celebrabimus. Dixi

Fer. Et admiror & laudo memoriæ diuturnam tenacitatem. Sed audita, quam curſim recitaſti, oratio mea mihi exanimis viſa eſt, quia ſua defuit illi anima, nẽpe tua, ſeu fratris tui vegeta pronuntiatio & geſtus. Iam, quoniam viuum audire non poſſum, tua morientem

rientem è narratione videre percupio,& vividam etiam in morte virtutem,nō ſatis mihi perſpectam, ſuſpicere.

Buſſ. Vulnus hoc peracerbum refricabo libenter: quia fraternæ virtutis, etiam pereuntis,meminiſſe, & morem tibi, quamuis in re triſti luctuoſaq; gerere iucundum eſt. Poſt egregiè ac plauſibiliter actam ſcenæ vitæq; primoris fabulam, cæpit ægreſcere, ſupremum vitalem actum prematurè clauſurus. Longinqua quindecim menſium febricula, quę lēta mors illi fuit, paulatim inuber, exuctus, macilentus,ac tabidus nulla medicorum arte, nulla medicamentorum ope iuuari potuit, & conſanari. Quare Chriſtianæ religionis poſtremis pręſidijs munitus,in Viterbienſis patriæ complexu, inter ſuorum lacrymas, interq; noſtrorum Patrum pias ſuppetias, preproperus reſtitutor,quippe annos natus denos octonos, hauſtum è cælo ſpiritum, in Ieſu & Mariæ, nempe ſalutis nomina lãguidè vocalem, placidè reflauit in cęlū.

Per. O proſperum reflatum, qui liberum à contagione corporis animum appulit ad illuſtre Cælitum theatrum! vbi laudabiliter actæ mortalis fabulæ adoleſcens adultis meritis Roſcius plauſus excipit immortales. Itaquę noſtrã dolere iacturam, eo mortalitati prærepto, non poſſumus: niſi felicitati eius ſempiternę inuideamus. Huc accedit, quòd indolis magnæ deſiderium fraterna tua ſuper-

ſtite virtute ſolamur. Dixeram, Virginiq; Deiparæ felices gratulaturi natales, auguſtam ædem ſubiuimus.

SOLITVDO BEATA

COLLOCVTIO VI.

Videbar aliquando mihi Ioannis Baptiſtæ natalibus ſacro die, meridianum ſomnum, dum vigilo, dormire, & poëticum hoc ſomnium ad Iordanem geniali verſificatione ſomniare.

TV quoq; nobilium diues regnator aquarum,
Iordanis: gemino qui flumina fonte relaxãs,
Vndarum deuoluis opes, et amœnus Idumes
Pinguia palmiferæ pelago premis arua ſonãti,
Tu quoq; demirans ſterili data pignora Eliſæ,
Inter Idumæis communia gaudia terris,
Sera puerperia et matris grataris honores.
Digna quidem mater: ſed te magis aurea tãgit
Proles, clariſona quæ præcurſura Tonantem
Voce, tuis vndis ſiluiſq; colentibus vndas
Naſcitur, ad voces vt ſilua reſultet et vnda:
Bisgenitumq; Deum cæleſtis vt aſſonet Echo.
Eſt ſpecus vmbroſo Libani ſub mõte, receſſu
Altus, inacceſſus radiis, et pumice viuo
Scrupeus, et viridi muſco prætextus et vlua,
Arte laboratus nulla: præſtantior arte,
Dædalea natura manu de cautibus arcum
Duxe-

Duxerat, et rudibus vallau'rat oſtia tophis.
Hæc dom⁹, hæc ſedes, hæc humida Regia Magni
Amnis: in hac reſidēs, geminãq; accliuis in vrnã
Nympharum populos, curſuſq; regebat aquarũ.
Hic ventura videns, diuerſa ex arbore circùm
Venturo extulerat ramoſa palatia Vati.
Iamq; expectati dum conſcia gaudia partus
Pectora pertentant dulci ſalientia motu,
Glaucarum reſoluta comam volat vna ſororũ,
Et complexa patrem, Proles en maxima, dixit,
Longæua de matre, tibi optatiſſima, ſiluis
Nata tuis. O quos vultus flagrantis honores
Spectaui nuper, clauſæ veſtigia flammæ!
Iam lætare parens: natali lætus ab vrbe
Plauſus, et auditi per rura patentia cantus
Dant ortus tibi ſigna ſacri. Celebrare choreas
Iam liceat nobis, et plectere flore corollas.
Dixerat, et glauci iuſſu diuiſa parentis
Naiadũ formoſa cohors prope fluminis vndas,
Cõfraga per nemorũ, perq; vmbriferas cõualles,
Florea per prata, et denſis iuga frondea ſiluis
Serta legit, teneræ molliſſima munera frontis.
Sepoſitæ Pater ipſe humeris velamina pallæ
Circũdat. Nymphæ patriis neuere ſub antris,
Serica ducentes hyali ſaturata colore
Vellera, et arguto denſantes pectine telas,
Pura coloratis variarunt carbaſa gemmis.
Ergo tranquillis inter palmeta fluentis
Attollit ſublime caput: ſpargentia ripis
Dulce iubar, tremulis iubar euibrãtia lymphis,
Aurea rorantis rutilarunt cornua frontis.

N. vulgaris honos per tempora ſerpit, ārūdo ;
Sed magnum natiuæ decus, conceſſaq; nulli
Præterea Fluuio, quò ſunt eductæ; rependunt
Munus, et innectunt textum regale coronæ
Balſama : odorato diſtillant rore capilli :
Lentaq; firmantur tereti veſtigia cedro.
Hoc fulgēs habitu ſenior, quas more gerebat,
Largius vndantes declinat prodigus vrnas,
Gaudia t ſtatus : ſic et diuina recentis
Blāditur puero per carmina, et abdita pādens
Fatorum, facileſque implens hortatibus aures,
Allicit ad ſiluas animum, latebraſq; paratas.
O nimium dilecte Deo, ſeu matris in aluo
Conciperis, ſterili prodis ſeu matris ab aluo,
Magne puer, magniſq; orſis ad maxima nate,
Creſce tener cupidæ ſuſpēſus in oſcula matris,
Dum licet, aureolaſq; manus exporrige auili
Ad patrē gremio : ad patrem, ſed biāte labello,
Arride dulcis, blandiſq; paterna lacertis
Colla liga, et vocis diſſoluens vincla paternæ,
Necte per amplexus vinclo meliore parentem.
Tuque boni genitor pueri, tuq; optima mater,
Fœdera quos thalami iūxerūt numine dextro,
Infœcunda olim, ſed quæ nunc pignore in vno
Cōpenſant numeri damnum, perſoluite dignas
Cælitibus grates: nataq; ad grandia proli,
Dilectæq; polo date magnum et amabile nomen:
Delicias ac dum cohibent cunabula veſtras,
Mollis et aſtringit formoſum faſcia corpus,
Et puer alludit, puerilibus oſcula mixta
Carpite blanditiis, et mutua ponite pulchris

Tem-

Tempeſtiuagenis, colloq; ſinuq; fouete.
Tēpus erit, (nec longa cano) cū mēbra ſolutus
Infantum vinclis atq; auctus numine, montes
Effugiet patrios, terraq; altrice relicta
Deueniet noſtras aui tener accola ripas.
Sic volucres induta niues modò nata columba
Turre volat, charos quæ ſuſtinet ardua nidos
Atq; vrbis plauſu ſtrepituq; exterrita, denſis
Abdit ſe ſiluis, liquidæq; ad murmura lymphæ
Lugubre turgidulo modulatur gutture mur-
Sic etiā, niueis vbi primū fidere pennis (mur
Paruus olor potuit, celeri Mæandria lapſu
Stagna petit, iuxtaq; vdis abiectus in herbis,
Dulce ſonās dat longa modos per colla canoros:
Attonitus dubiis Mæander fluctuat vndis.
At tu chare puer, mea lux, mea magna voluptas
Accipe, fortunata cano quæ verus haruſpex:
Neu diuina puta poſſe hæc oracla moueri.
Qualis in ignotæ gremio telluris ad vndam
Flos micat apricus, riguo quē flumine lympha
Educat, admulcent auræ, ſol ipſe colorat.
Ille gregi intactus, nullo detritus aratro,
Tutior aſſurgit pubenti vertice in auras:
Ignotuſq; aliis, cælo formoſus amico
Se probat, et cælo libat, quem ſpirat, odorem.
Sic puer intactum nemora inter, et auia longè
Flumina ſecluſus florem cuſtodit Olympo.
Non hunc Circæis effœminat acrior herbis
Blāda luxus iuuenū, ſcelerum fœcūda voluptas:
Non auri malè ſuada fames, ſparſiue cruoris
Extimulat ſcelerata ſitis: nihil ille timere

Innocuus nouit, nulli ſeruire ſolutas.
Marmorea non mole domus, non mille columnis
Diues amat claudi: ſed ditior, æthere aperto
Perfruitur, lucemq; haurit ſed largius almam.
Non petit arcanos ad crimina cæca penates:
Sed recti cuſtos aſtrorum ad lumina mille
Teſte trahit cælo niueam ſine crimine vitam.
Pinguibus haud inhiat mẽſis, nec præferat ille
Attalicas pomis epulas ſilueſtribus, altos.
Ipſe ſuis manibus quæ deducentia ramos,
Natiuoq; oſtro quæ ſuauè rubentia carpit.
Quàm iuuat aut denſæ metiri confraga ſiluæ
Intentata priùs, dumoſq; videre ſilentes!
Aut errore vago deſeſſum in valle reducta
Acclinare latus platani genialis ad vmbram!
Hic placido horreſcũt Zephyro, dubiũq; ſonorẽ
Dant frõdes, et lenè tremũt: hic ſtridula sũmo
Pendet auis ramo, et grato cũ murmure ſerpẽs
Per flores hic lympha nouos trepidare laborat.
Quã iuuat ad Zephyri, volucrũq; et murmura (lymphæ
Soluere paulatĩ lãguore natãtia molli
Lumina, et incerto permittere brachia ſomno!
Sic puer vrbe procul, procul et ciuilibus vndis
Aurea tranquillæ decurrit ſæcula vitæ,
Hæc ego dũ recolo, nemorũ redimire corona
Has placuit ripas: meus eſt in vallibus imis
Silua labor, meus eſt sũmis in montibus vmbra:
Ipſe ego, chare puer, gelidos per florida fontes
Prata tibi elicui: viuo pendentia ſaxo
Antra laboraui: cælo frondentia tecta
Eduxi, primis coleres quæ tutiùs annis.

Neue

Neue meæ certet ſiluarum laudibus vlla,
Quicquid vbiq; viret formoſi, quicquid vbique
Floret, in hanc toto ſiluam congeſſimus orbe.
Primus odoratam nutanti culmine cedrum
Indulget Libanus, quo non formoſior alter
Mons caput intonſum lucētibus inſerit aſtris.
Hic et Idumææ tua creſcunt præmia palmæ,
Et rident hic Elyſii, tua gaudia, flores.
Sunt noua perpetuo vernantia gramine Tēpe:
Serica ſunt nemora intacta canentia lana.
Tam bene mentitur laurus lunata theatrum,
Tam bene ſublimi nutat de vertice pinus:
Hic vt piniferam ſe tollere nubilus Idam,
Lauricomos illuc, mutata ſede, receſſus
Parnaſſo migraſſe putes. Nec laurea tantùm,
Deliciæ faciles, viret vmbra: ſed aurea fuluis
Heſperidum deuecta plagis tibi ſilua coruſcat,
Prona tibi rutilos pretioſo pondere ramos.
Nā quid ego hic Aetnæ monſtrē miracula, lucū
Inter inextinctas docilem frondere fauillas?
Robora quid referam nodoſo Hercynia trunco,
Quaſq; dedit Crete nullo cultore cupreſſus,
Et quas miſiſtis platanos Ammonis arenæ?
Vos quoque Chaoniæ veniſtis maxima glandes
Fercula contentis paruo: veniſtis et vnà,
Latmia quæ cælo per ſaxa aſſurgitis, et quæ
Parthenios ſaltus latè defenditis vmbræ,
Abiegna teretes, humiles et fronde ſaligna.
Non hic, quæ redolent auras arbuſta Sabæas;
Non nemus hic Nemeæ, bacca gemmata rubēti
Cornus, et Vraniæ pomaria olentia ſiluæ

Non deerunt, vnique omnis tibi ſeruiet arbos.
Aſpice vt inſcriptus natiuo carmine cortex
Te vocet, et motæ ſua per ſuſpiria ſiluæ
Aſpirent auram, nomen quæ dulce ſuſurrat.
Carmina nec ſolùm, nec te ſuſpiria ſiluæ
Sola vocant: noſtræ ſed formoſiſſima natæ
Agmina te caſtè ſuſpirant. Aſpice, vt illæ
Per ſiluas circunfuſæ, ſua regna, paternas,
Serta tibi nectunt, magnarum præmia laudũ,
Me duce quas reteges clauſas ſilueſtrib⁹ antris,
Tranſmittes ſæclis quas me monſtrãte futuris.
Non ego deſidia luxuq; fatiſcere mentem,
Nec tenerum patiar marcere per otia corpus:
Firmabo cruda florentes indole vires,
Creſcentes ſtudiis formabo ſenilibus annos.

Theoresis. *Stelliferas tentare domos, animoq; profundi*
Ludus erit puero penetrare volumina cæli.

Theopiſta. *Hìc ad inacceſſi arcanũ penetrale Tonantis*
Illapſus, regale iubar, lucemq; verendam
Ore bibes tacito: dabiturq; hìc cernere, vt vnus,
Immenſus Deus, indictus, ſine tempore origo
Ipſe ſit vſq; ſui, ſibi viuum exemplar, et ardor
Omnipotens, idemq; ſimul diffuſilis aura,
Ventilat æternos diuo quæ flamine amores.
Bethlæa hìc diſces vt Numẽ in antra relegãs
Dulcis amor patriis nuper deduxerit aſtris:
Vtque alta te mente Pater delegerit vnum,
Iſacidis pacti qui nuncia lumina Solis
Præpandens, ſtygiæ pulſa caligine noctis,
Præuius ad noſtras aſſurgas Lucifer vndas.

Sophia. *Hìc rerum cauſas, et quæ Natura negauit*
Viri-

Viribus humanis, celeri ſcrutabere mente .
Amalthea. *Hic ſpecubus clauſo cælum terræq; patebit :*
Hic et opum nudo cælum terræq; premetur.
Epimone. *O quoties vigili dum luſtras æthera cura ,*
Solibus inſomnem ſolidas coniungere noctes,
Luminibuſque faces ardere videbo coruſcis !
Euphroſyne . *Longa etiam ò quoties facili ieiuna melle*
Aureus è priſcis conuiua explebis, et vnda.
Ebrius ò quoties meliori melle beatos
Senſus, quod cupidè diuina per oſcula ſuges ,
Immemor ab rerum, atq; expers vndaq; cibiq;
Dulcius hoc, dices, hoc eſt mihi dulcius, inter
Oſcula quàm matris patriis accumbere menſis !
Elpinice *Blanditiis concepta ſacris, nutritaq; melle ,*
Suſpendit ſpatioſa breui quæ gaudia voto,
Spes ò quam blando mulcebit pectora ſenſu.
Agapia. *Hos etiam calidas contingens melle ſagittas*
Vulnere quàm grato valida quã lãpade diuus
Pectora figet amor ! Verno ceu ſaucia ſole
Nix alpina madet, vel tacta tepentibus auſtris
Liquitur : ingenti ſic externatus amore
Ah ſine fine, puer, tabeſces pectore toto :
Metanœa *Atq; aliqua occultis quæres ſolatia flammis,*
Nudulus , expoſitus nimbis , hiemiſq; rigori
Fallere gaudebis mea propter flumina flãmas
Dictæa qualis traiectus arundine quærit
Hinnuleus vitreos per deuia luſtra liquores .
Ipſe latet , prædamq; ſuam iaculator ab antro
Proſpicit obſeruãs , nec lumina torquet ab illa.
Ergo ad aquam caſtos dum ſuſpirabis amores ,
Suſpiratus aquam ſuccendet pectoris ardor :

Quæ

Quæ ſuſpiranti placidiſſima murmura miſcēs,
Sæpe ſuſurrabit diuos tepefacta calores.
Sæpe etiam gemino rorantes lumine gemmas,
Quas placidè ſtillabit amor, mea colliget vnda:
Deq; tuis oculis diteſcens pulchrior ibit.
Tunc mihi gēmifero non ſe componat Hydaſpes
Gurgite, nec Lydus rutilis Pactolus areni·
Tu me olim arcani ſupra ſeptenflua Nili
Cornua, me ſupra non decedentia Nilo
Flumina tollentis totidem ſe cornibus Iſtri:
Tu me Indum ſupra, et Gangē, Tigriſq; tepētis
Præcipites fluctus viuaci nomine tolles:
Eridanoq; ferar, Tiberiq; beatior amnis.
Longiùs atq; meo decurrens gloria curſu,
Euphratiq; Tagoq; meos narrabit honores.
Cthamalis *Scilicet his dudum latebris obſcurus, eaſdem*
(Quis putet?) ipſe tua clarabis nocte latebras,
Atq; tuis latè illuſtris fulgebo tenebris.
Nec mea ſe tantùm natiuis littora palmis
Attollunt cœlo, nec ſuauî corticis ore
In laudes diducta meas mea balſama odoro
Tam procul afflatu nomen Iordanis inhalant:
Ardua me quātùm tua tollet in æthera virtus,
Sophroſyne *Et caſti quàm floris odor mea nomina lōgè*
Proferet, has olim intactus qui creſcet ad vndas
Quāta, quis hic memoret, populorū examina lu-
Conueniēt excita meos, vbi prima volātis (cos
Aura procul famæ grato virtutis odore
Oppida contigerit, Solymamq; afflauerit vrbē?
Sic, vbi verna nouis illuxit purpura pratis,
Cerea melliferæ contemnunt regna cateruæ:

Impe-

Impetus eſt exire cauo de robore: circùm
Lilia confundi: niueis pendere liguſtris: (tar
Perq; thyma et violas, per amœna roſaria nec-
Delibare nouũ. Dulci ſtrepit Hybla tumultu.
Ipſe autem cœtus inter dicentis ab ore
Pendentum medius populo diſcenda recludes
Hauſta priùs cælo vitæ præcepta magiſtro:
Et magna auguſtæ reſerans oracula mentis,
Eloquium noſtræ nil parciùs amne refundes.
Quid loquar, innumeras fluuiali vt rore cater-
Perfundes, fœdo deterges ſæcula victu? (uas
Iſacidum tunc multa tuis ego millia cernam
Subdere ſe manibus: corpuſqs animũq; ſalubri
Vt fluuio ſpargas, ſtudio geſtire lauandi.
Sed maiora manent oculos ſpectacula noſtros.
Ipſe Deus, Deus ipſe, illa grauitate relicta,
Qua tonat intorquens non euitabile fulmen,
Mitior humana ſub imagine candida ſubdet
Mẽbra tibi noſtræ tingenda a Virgine lymphæ
Tãtus honos ductæ prope deuia flumina vitæ.
Hic ego inexhauſtas declinãs prodigus vrnas,
Fuſile lympharum argentũ per læta virentum
Aequora camporum voluam, et lucentior ibo.
Sed Pater omnipotens cælo manifeſta ſereno
Signa dabit Nato. Mediũ diſcedere Olympum
Cernere erit, lapſamq; altũ per inane Colũbam
Siſtere libratas diuino in vertice pennas.
Alcęa *Iamque polo matura, ſui iam conſcia virtus*
Roboris, inſtanti iam neſcia cedere letho,
Deſertis digreſſa locis, in Regia victrix
Crimina perrumpet, debellatura pudendum

Ore nefas, nihil et faſces veritura Tyranni.
Vincula quin inter captiuum arcentia corpus
Libera: quin inter ſtrictas infracta ſecures
Attollet patriis ſe morte ſuperbior aſtris.
Lætior attonſo ceu crine regerminat altè
Quercus, et atrio frondoſa cacumine, Olympo
Inſertat caput, et celſa inter ſidera condit.
Fortunate puer, longa cui per deuia cælo
Pandetur via, felici que tramite ducat.
Fortunate iterum, è noſtro qui gurgite plura
Gaudia libabis, noſtri quàm gurgitis vndas.
O ter fortunate etiam, cui plura parata
Silua feret decora, arboreæ quã tegmina frõdis.
Parue puer, iã parue veni: te murmure dulci
Silua vocat, dulci occurrẽs vocat vnda ſuſurro.
Dixit, et ima petens fluuio ſe condidit alto
Iordanis: facili voces puer ebibit aure,
Atque renidenti viſus promittere vultu.

Abſolueram arbitrarium & ſomnum & ſomnium: cùm in ipſa vigilia poëticè redormienti alia ſeſe obtulit imago ſomnorina. Videbam animo vtrãque Iordanis, quàm longè labitur, ripam nobiliorũ ſiluarum viridi ſpecie conueſtiri: priuaſque cuiq; ſiluæ arbores diſpari forma, & diſcolori viriditate regerminare. Animaduerti præterea truncos arborum, inſcripto carmine tacitè canoros, magno infanti nuper edito illices blanditias facere, & ad ſuam quenq; ſiluam inuitare. Igitur Iericuntio in palmeto, anapæſtorum feraciore, quam dactylorum, hæc legebam.

Hic

Hic vbi celſis nimium Iericho
Credula muris, magna Tonantis
Auſa morari bellaq; tubarum
Marte canoro, ceu murali
Turbine (mirum!) quatefacta ruit:
Vrbe caduca pulchrius altè
Imus in auras propter amœni
Vaga Iordanis flumina Palmæ.
Hic ò noſtris debite ſiluis,
Numine dextro modò nate puer,
Tibi natali celſius vrbe
Dulce hoſpitium teximus vmbris.
Ardua celſis licet illa iugis,
Atque irrumpens nubila, terras
Miſceat aſtris. Miſcere tamen
Mentem æthereis altiùs oris
Tereti exemplo præuia Idumes
Silua docemus. Viden, vt trunco
Arbor iniquo ſenſim irrigui
Munere ſucci parciùs imas
Explet partes, prodiga ſummis?
Hæc nempe tibi ruſtica imago
Humili ſuadet parcere curæ,
Totoque Deum quærere voto.
Quid ſi aërium frondis honorem
Suſpicis? altè nos egreſſæ
Vertice ouanti ſuper aſtra, ſuper
Lucida mundi templa volantis
Intentatum monſtramus iter:
Fixaque ſtabili cardine pacis,
Aurea diui luminis aura,

Et

Et minſuro clara ſereno
Pandimus animo regna ſequaci.
Nactus at oras ille beatas,
Ad nictantis fulgura lucis
Inhians tacito ſtupet obtutu:
Et inocciduo ſole perennem
Inconniuens ſuſtinet acie
Meliore diem, patiturque diu
Diuum humano lumine lumen.
Quin illa etiam luce magiſtra,
Abdidit alta quæ nocte Deus,
Prima explorans ſemina rerum,
Numine in ipſo lynceus hæret.
Ergò beata luce potitus
Vdam repetes cum victor humum,
Cæloque redux vbi ſilueſtris
Hoc Capitoli viridi textum
Fronde theatrum cura reuiſet,
Te victorem clara manemus
Præmia palmæ: tibi ſacramur,
Aequiùs, olim quàm Phœbææ
Dona palæſtræ prima dicarit
Duce nos Theſeo candida Delos.
Dum tibi cœtus præter, et omnes
Rideat vrbes hic ſecreti
Angulus orbis, ramoſa domus,
Hic vrbanas inter Iericho.
Celſa iacentis meritò dicar.
Surgere victrix ſilua ruinas.

Cum

Cum hæc legiſſem, vidi principem Iordanis filiam, inter cęleſtis formoſitatis ſorores Nymphas pręſtātiſſimam Theoreſim, Iericūtiæ ſiluæ cultricem, ad ſuas vmbras hederacei ſerti, & huiuſce carminis inuitamento prouocantem.

Illa ego Iordanis proles pulcherrima, cælo
Quæ procul aligera ſidera mente peto:
Siderea et redeo formoſior alite, pluma
Cui vario ad ſolem picta lepore rotat.
Tu quoque parue puer, ſurgas vt pulchrior aſtris,
Carpe celer, mea quod dextera ſignat iter.
Præmia digna labor feret arduus: aſtra petenti
Alta petens hederæ vinciet vmbra comas.
Hoc auet illa: feret nam ſe non altiùs vnquam,
Quàm cum frontis erit celſa corona tuæ.

Poſt prægustatam diuinæ Theoreſis grandiloquam ſuauitatem, è Palmeto digreſſum contiguo me blanditer obuia in Elyſiæ ſiluæ Myrteto excipit Euphroſyne: vbi poëtriæ Myrti, corticibus inciſis litteratæ, ſic loquebantur.

Et nos amantes littora,
Odora ſiluæ, myrti
Mutare ripa venimus
Feliciore littus:
Vt te, nouelle floſcule,
Quem frigidæ parentis
Hiems anilis attulit,
Lux ò, decuſque noſtræ

Et vndæ, et vmbræ, mollior
Et vnda et vmbra claudant.
Eſt, ſubdola cui nænia
Senſus nimis ſequaces
Vrbana Siren, vrbium
Blandiſſimum periclum,
Malum vrbium dulciſſimum,
Fallax trahit voluptas:
Fallax voluptas implicat,
Molita clam ruinas.
Sed tu potes iucundiùs
Hic ſola per vireta
Tranquilla ſecla ducere.
Certè hîc nemus beatum
Renidet illo pulchrius,
Quod cœtibus piorum
Vt deuaueret, ſplendidè
Mendax ab orbe noſtro
Cautè remouit fabula:
Bibulamq; credulæ auris
Fidem perita ludere,
In abdito locauit,
Quà belluoſus vltimis,
Reciprocante fluctu,
Pontus Britannis obſtrepit.
At hoc inhoſpitalis
Non vnda longè ſummouet:
Non turbat impotenti
Thetis freto tumultuans:
Non territant minaci
Marina monſtra murice.

Sed ambitus beatos
Argento amœnus lubrico
Iordanis hic perennat.
Hic aura blandùm ſibilans,
Puer veni, ſuſurrat:
Veni, refert ſuauiùs
Inter latens roſeta
O vanti aëdon gutture,
Siluæ canora Siren.
Accurre: nulla pulchrior
Sedes moretur vſpiam.
Ridente campos largior
Hic luce veſtit æther:
Hic verna ſemper purpura
Lætum colorat annum:
Boniq; vena lacteo
Hic fonte ſurgit, vnde
Perenne manat gaudium.
Ergo huc ades. Recepto
Te, ſilua vernet lætior:
Fons dulcior redundet.

Suarum viridi amoenitate, ac poëtica vbertate arborum ſummopere mecum delectata Euphroſyne, hilaritatis indices, mellifluos eliquauit hos verſus.

Vt video, vt formoſa places, mea ſilua, videnti!
Tota nec Elyſii ex arbore forma venit.
Maius habes, mea ſilua, decus, quòd cortice amatũ
Inſcribis nomen, murmure et vſq; cies.

F O mea

O mea vota illi pranarra, et flamine motis,
Mille velut linguis, frondibus iſta refer.
Dulce decus propera. Euphroſyne, lætiſſima Nympha,
Illita ad æthereo gaudia melle vocat.
Vtq; ſuis animi cumulentur gaudia ſignis,
Lætifica vitis tempora fronde teget.

Ab Elyſijs ad Seres, toto diuiſos orbe, citò tranſmiſit continuatum Elyſio Sericum nemus: cuius arbores Iordanis vnda poëtifica ebriæ ſic verſificabant.

Trans regnata tepentibus
Euri littora flatibus,
Quà vicina volubilis
Audit verbera Delii,
Vrgentis roſeos equos,
Indo gurgite roſcidos:
Atque hinnitibus excitus
Antiquum caput exerit
Longo perpetuus iugo
Taurus, ſed ſibi diſſitus
Per diuortia nominum,
Puro vellere nobiles
Siluam teximus arbores:
Siluam? an candida veriùs
Virtutis penetralia?
Noſtro excludimus obiice
Praui tela cupidinis,
Defigentia mentibus
Auri ſacrilegam ſitim,
Cunctis immedicabilem

Hermi

Hermi fluctibus aureis:
Nec feraliùs igneo
Nobis ſidere fulgurat
Auri ſanguineum iubar.
Hoc vnum bene nouimus
Aurum, luminis aurei
Quæſtor quod iacit, aurea
Lucis munera diuidens,
Cum claram reuehit diem.
Sic noſtro ſatis incolæ
Seres munere diuites,
Auro libera pectora,
Ducunt aurea ſæcula.
Fuluis aut nihil inuida
Sæclis vt noua tempora
Signent, & niueos dies,
Caneſcentia mollibus
Pectunt vellera frondibus
Gens hic conſcia patriæ
Mercis, neſcia barbaræ:
Paruo diues et affluens
Inter perfida cærula,
Inter monſtra natantia
Horret naufraga ſutili
Mercuri rate funera:
Primus nec domitor maris
Si Tiphis moneat, pedem
Charo dimoueat lare,
Vt ſe iungat Iaſoni
Heroum trabe Theſſala
Oras viſere Colchicas,

 Villi

Villi quærere lucidi
Prædam, flaua pericula.
Iam ſi quæris ab vltimo
Quia nos littore traxerit
Siluæ robora Sericæ:
Noſtro nos tuus euocat
Candori ſimilis decor,
Intactæ puer indolis.
Tu, præter niueam indolem,
Sat diues nihil arſeris.
Virtus pectora Serico
Ditat vellere pulchriùs.

In hoc deinde luco ſuauibus hiſce numeris canoram Amaltheam audiui.

Me Iouis altricem mentita eſt fabula, vbi olim
Per Dictæa tener vagiit antra puer.
Verior ò vtinam Crete mihi fiat Idume!
O mihi ſis tenero pro Ioue, diue puer!
Suxerit ille ſitim ditionis prædo paternæ,
Quem ſtolidæ pauit dura papilla capræ.
Dulciùs ipſe meo potabis ab vbere: quæret
Nil opis externæ mens opulenta ſuis.
Ergo animum ſatis vna beo. Placet addere ſignũ.
Sic palma humanis vſibus vna ſatis.

Et ad Iordanem Tempe conſpexi, quæ buxeo nemore genialiter inſcripto pias ita blanditias deliciaſque faciebant.

Quàm bene gratam parturit vmbram
Vſq; virenti fœcunda ſinu,

Et

Et ramoſis prona lacertis
Partum Buxus fouet ipſa ſuum,
Frondea mater.
Viden, vt flauo vertice nutans
Oſcula natæ figit opacæ:
Atq; vt tremulo dulcè cachinno
Proli arridens, vultus virides
Criſpat honores?
Viden, vt foliis, velut innumera
Mater lingua lenè trementi
Et delicias murmure leni,
Et blanditias mollibus vmbris
Sæpe ſuſurrat?
Vmbra ò dulcis, pulchra virentis
Matris imago, gelidæ vallis
Secreta colens Nympha nigella,
Inter Idumen tibi naſcuntur
Theſſala Tempe.
Hìc irriguo micat argento,
Simulatq; fugam, Penee, tuam:
Dum cæruleus largè humentes
Vitreo Libani defundit opes
Fonte Tyrannus.
Hìc Tiberino pulchrior amnis
Floræ nutrit roſeo fœtus
Ore decentes, et bene olentis
Vernos aulæ ſacro æternat
Rore Quirites,
Tu quoque adultum nemoris vulgus,
Flauo pubes criſpula crine,
Viridi ſemper læta iuuenta,

Geris æternos munere lymphæ
Crinis honores.
Ita formoſis formoſa vires
Vſque viretis vmbra nigella,
Hominumque vagas, dulcè loquacis
Auræ illecebra, iucunda vocas
Hoſpita mentes.
Verùm hoſpitiis ſi qua beatis
Mens ſuccedit prona vocanti;
Ecce ingenio renouata loci,
Et viuaci mage fronde virens,
Viuida vernat,
Iam ſi mentis vigor æternus
Mouet ingenuo pectora voto,
Decus huc noſtrum procurre, puer,
Hic noua meliùs medio condes
Pectore Tempe.
Pectoris inter ſacra vireta
Vitæ duces leniter auram,
Lætus eandem morte refundes.
Sic *lætus olor vitam exhalat*
Morte canora.
Hæc moriturus carmina Cycnus,
Dum prope Idumes præcinit vndas
S*uprema ſui gaudia lethi.*
Hæc te noſtro victura vocant
Cortice, Vates.

Inter

Inter hęc amœna Tempe dum Epimone amaranthinam, nempe nomini & indoli ſuę decoram corollam, venturo magnum puero incitamentum, cōtexuit: ſuauiſſimi oris ſui hos flores immiſcuit.

Dicebam plectens æterno flore corollam,
Quàm decet hæc vatem plexa corolla meum!
Conueniunt mentiſque vigor, floriſque perennis:
Ergo tuum ſimili, floſcule, iunge decus.
Iunge decus, mentiſque pares complexus honores,
Ambroſium pueri, floſcule, cinge caput.
Pulchriùs haud poſſis adiungi floribus vllis,
Inter quàm roſeas vſque nitere comas.
Hæc ego dum memoro, flos vltro ad ſerta cucurrit.
Tu quoque, Diue (vocant te mea ſerta) veni.

Cęteras obire ſiluas meditantem improuiſa me puerilis vox & ignota nominatim cōpellat. Eò protinus aures oculoſq; aduerto, vnde ſonus emittitur. Ecce autem in opæca ſpecu ſolitarium, ſedentarium, & in camelino cilicio ſeminadum puerum proſpicio. Vt mihi propius adeunti affulſit forma indulgentior, & vultus humanæ pulchritudinis faſtigio erectior: tum didici, hunc illum eſſe puerum corā Deo magnum, qui Iordanis inuitatu tener ſiluarum ciuis aduenifſet. Accido pronus ad pedes, eoſdemq; quòd vrbanas delicias & faſtus generosè proculcarint, amplector & oſculor. At ille me blādè complexus, Arridet ne animo, inquit, mi Ioannes, luſtrata oculis ſolitudo? Ad hæc ego, quidni arrideat, quæ te præſente hilaratur? Quanquam eam nec

ſolitudinem dixerim, quæ omnium populis arborum habitatur, tuiq; vnius præſentia, quæ inſtar eſt mihi numeroſæ frequentiæ, celebratur. Igitur, inquit ille, ſi dux & ſodalis placeo, hìc, relictis vrbibus vnà cognomines habitemus: neque mecum duntaxat, verùm etiam tecum habita: & honeſtæ iam tẽpeſtiua requieti ætate à diſſipantibus animum curis receptui cane: vrbanamque multitudinem fuge. Mihi quoque ſupremum in vrbe periculum: & capite ſtabit ore caſtigandus Herodes. Quare ſarcinulas collige, teque in hunc placidum portum ab vrbani tempeſtatibus oceani recipe. Gaudebis hìc magis, & nihil dolebis, niſi quòd à mortalium cõmercio ad Cælitũ conſuetudinem ſerò tranſieris. Hìc te moratur florum cultorem colendus in primis diuinus Flos campi noſtratis, & terrenarum conuallium cæleſte lilium. O quàm minimè laborioſus, quàm voluptarius labor Deum colere, qui ſeſe tibi vertit in florem. Hoc vno bene culto tibi totus vernabit annus: vnuſq; flos florum ſuauitates omnium afflabit: vnus in deſertis locis cæleſtes hortos & paradiſum repræſentabit. Hæc elocuto pucro aſſenſeram, meq; Iordanis accolam rebar: cum ab imaginario ſomnio præcipitantis Anienis ſonitu excitatus, eſſe me Anienicolam: nullamq; in medio Tibure inſalubrem Sardiniam, ſed beantem in priuata vita inueniri ſolitudinem animaduerti. Quare homo ſolitarius, & vni mihi Deoq; vacãs litterarias nõ ſparto, ſed calamo negotioſum per otium ſportas contexere decreui. *TIBVR-*

TIBVRTINA ROMA

COLLOCVTIO VII.

Romam Tiburc mutaueram: Dum autem domeſticis cum ſocijs vrbem & ſuburbia pomeridianus perluſtro, veteres Quiritium delicias, etiamnũ in parietinis ſumptuoſa planeq; regia maieſtate ſuperſtites, intuens, Pace tua, inquã, Martialis, veriùs in medio Tibure Roma eſt, quàm Sardinia. Vt Romano in ſolo Roma recens, in Tiburtino antiqua ſplendeſcere videatur: ideoque à recenti ad priſcam Vrbis magnificentiam remigraſſe me mihi perſuadeam. Hìc ſepticollem vrbium Reginam abruptorum mœnibus montium communiri reor, vbi ſitu cæteriſq; vrbanis dotibus præcelſum Tibur ſtipatores inter montes video ſuperbire. Hìc Anio, Tiburtinus vt fiat, non modò properans, ſed etiam præcipitans, dum vulgari vocabulo non abſimili Tiberim æmulatur, vrbis Romanæ ſpeciem perſpicuam præbet. Hìc Albuneæ Sybillæ tẽplum in edita præruptaq; crepidine, cataractæ aduerſa torrentiſſimi & inter occurſantes ſcopulos magno ſtrepitu *Plin. l.3.c.5*

tu

tu ruentis fluminis eminens, ipſoq; in perũ fluxu pluſquàm fluuiali ſtabile, diuinat, quia Sibyllinũ eſt: ſua enim elegantiſſimæ ſtructuræ rotunditate Romanam ſibi prænuntiat æternitatem. Hic per villatica veteris opulentiæ veſtigia in Tiburte ſuburbano Vrbem Orbis regnatricem inuenimus: ac Tibur meritò ſuperbum Roma villicante deprehendimus coronatum. Hic in dirutis Syphacis, & Zenobię villaribus regalis elegantiæ domicilijs condiſcimus, Regium fuiſſe in amœnitate Tiburis exulare. Dum hæc, aliaque permulta cum Sodalibus genialiter fabularer, oſtendit aliquis Horatij, Catulli, & Vopiſci ſtructiles Parnaſſos, ad ſonoram pręterfluentis Anienis Aganippen olim canoros, at nunc in Latinarum muta Muſarum ſepulcreta mutatos: quos ego cęterarum feraciſſimas fuiſſe villas prædicabam, quòd eruditos immortaleſq; ingeniorum fructus attuliſſent. Sed ecce autem à multiplici Poëtarum villatico Parnaſſo peropportunè fit obuia Mecœnatis, priuati hominis Regia ſuburbana, in ipſo ſui perſtãte cadauere ſempiterna. Nimirum nullos alit poëtas ſine Mecœnate Parnaſſus. Ego verò vbi Mecœnas ſit, illic eſſe Romæ vrbanitatem, & Vrbem cenſeo. Cæterùm ne vetuſtæ Roma recentior Tiburtinas delicias inuideat, in Ateſtinorum Principum hortis veterum opulenta miracula villarum ita

con-

congeſſit, vt nouam quoq; Romam ex vetere coalitam, nempe Vrbium Phœnicem hic habeamus. Deſcendimus tandẽ ad Lucanum pontem, à Lucanorum cæde, vt quidam memorant, appellatum. Illic placuit ambulando defeſſis in viridi Anienis ripa otiosè placidèque acquieſcere. Tum ego, liceat mihi per facilitatem veſtram, Sodales cum hoc fluuio, qui demerſæ fortiſſimę Matronæ Sympheruſæ indignam necem liquida perennitate deplorat, diù ſuppreſsũ funebre præconium euoluere: Annuentibus illis, attentiſq; ſic cæpi. Ergone maximæ parem vrbi agreſtem domum auguſtæ in agro Tiburtino voluptati dedicare nõ poteras ſine luctuoſis Sympheruſæ, filiorumq; victimis, Innocentiæ mactator, & religionis carnifex, Adriane? At Deorum, inquis, oracula id exigunt, ſe fœminæ ſanctitate laniari cruciariq; conquerentiũ. Et hæc palmaris eſt amẽtia tua, Cæſar, eos credere Deos, & audire, qui ſe fœminæ virtute torqueri ac ſuperari fateantur. Egregiam verò laudem è multiplici eruditione tua, & ſpolia ampla è bellica ſtrenuitate reportas, ſi Deorum in ſuperſtitione deliras, deq; inermi fœmina ſupplicijs triumphas. Coram ſiſtitur cum filijs mater: quos Cæſari Sympheruſa oſtentare matris ingenium referentes pulchriùs poteſt, quàm Cãpanę Matronę Gracchos ſuos Cornelia. Hos namq; parẽti elo-

eloquentia,illos innocentia perſimiles fecit. Blanda primùm hortamenta lene tormentum admouent, vt, eiurata Chrſti diuinitate, ſacrilegis factitiorum Numinum religionibus cum prole genitrix initietur. Deinde in animum blanditijs inexpugnabilem, & illecebris magis forteſcentem, verbis minacibus arietatur. Sed irrito conatu mortales, quamuis gigantes, cælo minantur: mineq; Cæſaris infra cæleſtiſſimæ fœminæ Olympum tonant. Hactenus facta verbis velitatio. Iam res ad manus reuocatur. Colaphis cædunt, an veriùs blandiuntur? Has enim blanditias amat Chriſtiana tolerantia. Vt vnam cædenti alteram diuinitus iubeamur aduertere maxillam: ne percuſſæ intacta glorioſi dedecoris purpuram inuideat, vtq; facies vniuerſa virtutis colore pingatur. Ad oris depalmati ſonoram iniuriam nulla regeſtę contumelię vel conqueſtionis Echo reſultat. Nempe non vacuum, ſed inter cruciatus ſilēte Deo plenum contunditur caput. Quin etiam illo muliebri ſilentio, Cæſaris lictorumq; grauiſſimè depalmatur & vapulat furor. Quare dum ſe ferendo vinci nō ferunt, eā capillo ſuſpendunt. Ad ſublime cælum anhelanti placuit inchoata ſuſpēdio ſublimitas. Neq; verò potuit è reſte formoſiore innocentia pendere, quàm è crine, qui muliebrem in-

primis

primis formam cõmendat. Miror hìc ego è tenui fragiliq; capillaceo nodo non tam ponderoſum corpus, quàm immenſum heroicę pondus tolerantiæ librari. Componant aliæ crinem fœminæ in laqueos viris amabiles iucundaſq; decipulas. Tu crinalem prudentior Sympheruſa nexum obtendis cælo, ipſum captura Deum. Euènit. Ecce ſe captum victumq; faſſus, Vulneraſti me, inquit, in vno crine colli tui. Tritum eſt, Romanarum crines fœminarum neruorum vice intentos in arcubus pugnaſſe. At ſola in ſupplicium diſtenta coma expugnari Deum, diuina profectò victoria eſt. Quæ Deum vicit, præmij loco Cælum coma obtinebit, ſplendidoq; Berenicei crinis denigrato mendacio, cæli caput capillabit illuſtriùs. Hoc autem ſpectaculum, dum ad Herculis fanum exhibet Imperator, maſculę mulieris glorię ſingulari ſeruit neſcius & inuitus: vt cũ Hercule collatam Sympheruſam longè validiorem eſſe intelligamus. Plus eſt capillo vincere, quàm claua. Victus igitur cedat è templis Hercules: poſitoq; clauæ pondere, Omphales colum reſumat & fuſum, præ Tiburte viragine ſemiuir, effœminatoq; animo fortis ad fœmineos labores. Heroinæ concedat Sympheruſę diuinos templorum honores, quę poſtmodum inter Cælites numeranda & colenda, præclariùs & ſublimiùs Herculeo ſidere

ful-

fulgebit, & ſtrenuas Herculis fabulas ſolidę ſplendore virtutis obſcurabit. Pergit furere Imperator. Adhuc inuictam ſtatuit vltimo ſuperare ſupplicio. Sed vana ſpes ac temeraria furentem ludit. Etiam cadens nō cedet Cæſari, quę ipſi non conceſſit Herculi. At quò dementię progrederis Adriane, vt ſperes grandi ſaxo ad collū alligato, pronoq; in naufragium corpore, ad execranda Deorum ſacra inflexibilem curuari poſſe virtutem? Depreſſo corpore celſiùs attollitur animus. Hæc etiam palma, victorijs nata, ponderibus obluctatur, aſſurgitq; degrauata triumphalem in libertatē. Qui matronali flagrat in pectore diuinus Amor, aquis ſupernatat inextinctus, ijsdemq; olei vicem prębentibus ſuum alit ardorem. Deniq; fluuiali merſes profundo ſanctitatem, lautior & pulchrior euenit. O te, Anio, fluuium beneficentiſſimum, qui, quam demergis, incolumem cæli traſmittis in portum! O te Tago & Hydaſpe illuſtriorem, quòd illi aurum gemmaſq; progenerant: tu corpus extinctum in diuinum ſidus accendis, oſtendiſq; cæleſtes ignes etiamnum ex aquis effulgere! O te Heſperio parem Oceano, quòd Patrię tuæ Solem, Sympheruſam, humido ſepulcro contumulas! I nūc amnis ideo clariſſime, quia non tuas duntaxat vndas, ſed triumphalem quoq; Sympheruſæ ſanguinem vehis. I, liquido pede debi-

debitam tibi Romam propera purpuratus: vt regnatrice in vrbe, Tiberino cōfuſus flumini, per triumphum inueharis. Iam verò exanimatæ Parentis vitali documento animoſiores filij, quia commentitijs Dijs abnuunt immolare, abripiuntur ad quæſtionem ac necē. Age iam ſceptriger ac trabeate tortor, Adriane, depactis circa Herculeam ædem ſeptem ſtipitibus adalligatos totidem fratres, deliberata morte Chriſtum conteſtaturos, contrucidari iube. Id enimuero ignarus agis, vt Herculem tuum ijs circūcluſum Heroibus obſideas: qui ſacrilegum eius cultum funeſtorum ſtipitum ſuorum multiplici claua profligabunt: victrice ſua ruina conuulſam ſumptuoſi templi gloriam adobruent, ac duodeni laboris fabularem famam, innocenter peractę vitę, ac fortiter obitæ mortis laude mactabunt. Vt enim fortior, ita laudabilior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vicit: & monſtra non orbis, ſed pectoris exterminare Herculeo præſtantius & opus & labor eſt. Bene habet. Cruentus è Cæſare Tyrannus vero vel nolens Deo ſacrificat, & opimas quidem ſeptenas victimas, vt par ſit ſummæ crudelitati plenus perfectuſq; numerus ſeptenarius. Ita ſeptem filij, verè poſthumi, cęſa è cęli parente Cęſares, ad immortalem vitam, dum pereunt, renaſcuntur. Ite fortes liberorum animę, quas Tyranni ſæuitia, dum

Macrob. l.1.c.6

arctiuſ-

arctiſſimè deuincit, à corporũ vinculis abſolutos veram in libertatem aſſerit. Ite ad matrem patremq; veſtrum, qui pulchram per vulnera purpuream vobis ad cęlum viã pręſignarunt: interq; ſuauiſſimos illorum complexus aditam ſempiternæ felicitatis hæreditatẽ inuicem gratulamini. Vos etiã exanimes ſanctiſſimæ parentis & ſobolis exuuiæ cęlum nactæ in terris eſtis, dum Romana in AEde ad ſummũ Circum, Cælitum cum Principe Michaële ſplendidè habitatis. Debebatur vobis triumphatrice ſepulcrum in vrbe, qui de Romani armata crudelitate Imperatoris inermi tolerãtia triumphaſtis. Neq; tamen Tibur veſtrum, quanuis extero in ſolo ſepulti, deſeruiſtis. Sed corporum parte, animorum in pignus relicta, pręſentiſſimum illi patrocinium pollicemini. Diuino itaq; conſilio cęteras inter ſacras exuuias Sympheruſæ velum, & Nemeſij cor Patrię indultum: vt illo ſe ab ira Numinis ſartam tectam, hoc cęleſtibus ſuis ciuibus cordi eſſe interpretetur. O vtinam, filijs tuis pręclari dux fœmina facti, Sympheruſa, poſt huius mortalis exilij tranquillatas & enauigatas procellas, mihi quoq; tuis laudibus dedicatiſſimo ad cęleſtis Romę communem patriam tuo proſpero patrocinio velifices! Feliciſſimum hoc beneficiũ Tiburtinę oleę pacalis viriditas vel exigit, vel promittit. Cum hæc dixiſſem, laudarunt anſerem olores.

res. Tum ſurreximus, & vario ſermone viæ moleſtiam fallentes, imaginariam Tiburtinam Romam, verumque Tibur repedauimus. Denique cum ambulatione diem hoc dicto condidimus, Ex vniuerſis antiquitatis reliquijs nullam eſſe Tiburi magis Romanam, quàm Tiburtinam Sympheruſam, quæ Romæ, robur ſonantis, robuſtum inſtar in laceri corporis integra tolerantia reliquerit.

XAVERIVS NEAPOLITANVS

SIVE

MARCELLVS MASTRILLVS

PERSONAE

Franciſcus Fuſcus, Ioannes Candidus.

COLLOCVTIO VIII.

Fuſc. EX vrbe recens aduena ſuburbani Tiburis iam ſemeſtrem colonum ſaluere Candidum Fuſcus baſilicè iubeo.

Cand. Ten' video tandem ſodalium optatiſſime improuiſum? At vrbem linquere vrbaniſsimus quî potuiſti?

Fuſc. Vt vniuerſam in te vno vrbanitatem inuiſerem, potui. Tu verò in iſta montana colonia quid rerum agis?

Cand. Diſco Romam dediſcere, & in otio negotioſum eſſe.

Fuſc. Præclara profectò, & rara vtraq; diſciplina: cum tute præſertim ſis tui magiſter idem ac diſcipulus. Sed opus aliquod otij negotioſi, & opiparam ingenij lautitiam erudito è promptuario auribus cænaturientibus deprome, dum ſedentarius nuperæ viæ moleſtiam concoquo.

Cand. Qui tibi hactenus ſui condus, iam promus ero, vt reor, gratiſſimus. Etenim habeo, quam piæ promam eſurigini tuæ, quanuis dictionis condimento inſulſam, argumenti certè delectu lautam de Marcelli Maſtrilli vita obituq; ſcriptionem tua gratia nuper elucubratam. Nam eam eſurialibus ex me litteris efflagitaſti: vt Indicæ, quam deperis, nauigationi tuæ ſidus hoc præuium affulgeat.

Fuſc. O mihi Tibur hoſpiti peropportunum! vbi quem India ſuſtulit, Marcellum meum inuenio, ſcriptoris humaniſſimi beneficio ſpe citiùs rediuiuum, vt quouis mihi ſidere illuſtrior ad iter Indicum præluceat.

Cand. Eius ego hiſtoriam iucundiùs vt ſcriberem, tu legeres audireſue attentiùs, te mecum colloquentem induco, dialogiq; anticipatione te tuum ante aduentum Tiburi ſiſto.

Fuſc. Nihil æquè mihi votiuum afferre poteras, quàm vt te tuo meoq; diuerbio bilinguem, tuoq; me ore caſtigatè loquentem audirem. Ergo incipe.

Cand. Agè mi Fuſce, neceſſitudine vitæ, beneuolentię viciſſitudine ac religioſi ſocietate fœderis, ſodalis mihi coniunctiſſime (quandoquidem ad opacam illecebram conuenimus frondoſi Montis huius, qui Tiburtinis præ montibus mihi formoſiſſimus eſt, meuſque merus Parnaſſus, condictā Marcelli Frāciſci Maſtrilli laudationē, ab effuſo nuper Chriſti

cauſa cruore purpuream, alternis narratio-nis meæ, tuæque exornationis ſermonibus contexamus.

Fuſc. Ecquid mihi optatius, quàm Indicos Marcelli labores exornatione, mox etiã (ſi Deo placitum) imitatione proſequi? Quanquã narrationi exornationem, velut holoſerico phrygium ornatum aſſuere tu concinniùs poſſis, qui argutis acubus abundas.

Cand. Vſus & æuitas meas retudit hebetauitque aculeorum acus. Recentiores tuæ cõpungent acutiùs animũ, & altiùs penetrabunt.

Fuſ. Morem gero quadruplici nomine perlibenter, tum vt Marcellus qualecunq; meæ vocis obſequium æqui boniq; faciat: tum vt ornatiorem narrationem tuã, quàm ipſam exornationem meam tecum ipſe fatearis: tum vt in hac etiam vocali pictura eloquẽtis candoris tui lumina magis emineant fuſcæ dictionis meæ vmbris alternata & veluti nigrore cõdita: tum deniq; vt multa, quæ ille præclarè geſſit, mihi adhuc non ſatis comperta, te prænarrante cognoſcam. Ingredere iam ſedentariam exercitationẽ. Ego præeuntem, dum ſedeo, ſequor.

Cand. Natus eſt Neapoli, pulcherrima in vrbe, Marcellus, è nobiliſſimis parentibus, ipſo exaltatę Crucis die.

Fuſc. Bene habet exordium vitæ, cunctis partibus auſpicatiſſimum. Ad omnia decora adulti infanti parentes & patria indolem indidere:

nata-

natalisque dies diuini patibuli omine vitali affulſit.

Cand. Appoſitè tu quidem: nam præcox ad pietatem ſpecimen in ipſis prope natalibus præluxit, cũ paternis manibus à baptiſmo ad patruum Gregorium Maſtrillum decumbentem, noſtrorum Neapolitanæ domui Profeſſorum Præpoſitum delatus, eoq; flagitante Societati Ieſu iam tum dicatus eſſet a Patre: præter morem primulæ vagientis ætatis Marcellus attẽto vultu animaduertere, quid de ſe decerneretur: cælum ſubinde ſuſpicere, arridere ſuamq; ſibi felicitatẽ quodammodo gratulari. Deinde adoleſcentiam, ad omnia lubricam & effrænem vitia ætatem, non tam optimi morum magiſtri, quàm ipſę videntur informandam ſuſcepiſſe virtutes. Crediderim infanti lac immulſiſſe nutricem Innocentiam. Adeo candore ſuo mores eius colorauit, & ſine labe lacteos fecit. Hinc dulcis ac tenera, & alienis calamitatibus lacteſcẽs puerilis miſericordia tum in egenos, quæ cælitum aliquem viſa eſt aliquando ad emendicandam ſtipem allexiſſe: tum in ægrotos, quæ morbũ corpuſculo grauem, charitati leuem incuſſit. Hinc eximia in Deũ diuináq; Matrẽ voluntas, cui benignam vterq; vicem mirabili non ſemel ſignificatione repoſuit. Hinc ætatulæ ludibundæ voluntarij piјq; cruciatus, qui ſerio ſeueroq; ludo cruciabili fune-

ri proluderent,quibuſq; ſuprema tolerantia iam tum á teneris roboraſceret. Hinc etiam pulchrè ac mirum in modum aurita parentibus obtemperatio,quę tacitos nutus animiq; propenſionem exaudiret. Quin imò tã puro liquidoq; fuit ille auditu, vt ipſum Deum,cor ſilentio alloquẽtem,perſentiſceret: ſuæque ad Societatis religioſa caſtra euocanti alacriter auſcultaret. Quare generoſam puer victricemq; fugam á ſuorum complexu ad Ieſu Sodalitatem capeſſit, inuitante formoſiſſimi oris cæleſti, vt creditur, pubere, ac Deipara Virgine opem pręſentiſſimam ferente. Nec illum á fuga reprehendere potuerunt vel Patris minæ vireſq; vel obuium & reclamans inferorum agmen, ruſticanis & nigerrimis Aethiopum vultibus laruatum: vel denique inferno nubilo, fœda tempeſtate fœto, repentè nocteſcens appetentis diei ſerenitas. Marcellus iam noſter eſt: iam eos in virtute progreſſus habet, vt Angeli appellationẽ adeptus,non tanquam terræ, ſed cæli miraculum ſuſpiciatur. Illud iam ingenij ſpecimen in vniuerſis Neapolitani Lycei diſciplinis exhibet, vt, veluti multiplex doctæ frõtis laurea, ſint eidẽ collata noſtrorũ honoraria omnia munera litteratorum. Iam imperatoria virtus, Prudentia, prima humiliq; in rei domeſticæ adminiſtratione ſic eminet, vt ſummis par imperijs habeatur,

dum

dum ſeueritas ipſa ſuauitatis tẽperie amabilis in animos quoq; dominatur.

Fuſc. Nihil equidem admiror, heroicæ virtutis indolem iſtã noſtratis mundi anguſtijs cõtineri neſciam, & Indici orbis immenſitati æqualem extere ſalutis emolumenta indefeſſa peregrinatione, conquiſiſſe, vitaliq; vite iactura comparaſſe. Verùm ſtudeo ex te cognoſcere Indię appetentiſſimi amoris in Marcelli pectore natales.

Cand. Ipſo digni fuere partu, nempe admirandi planèq; cęleſtes. Dum enim primis tirocinij diebus, quibus tironum conſtantiam probari mos eſt, in ſolitario cõclaui minimè ſolus aliquando cum Cęlitum cœtu animo verſaretur, vidit repentè medium conclauis fornicem tectumq; imminens duas in partes diſcedere, ac cælum ipſum rimam agere patulam & illuſtriſſimam. Ex illo diuinę lucis impluuio tantus ſe Marcello ſuauiter apricanti referendę patibulato Deo gratę vicis calor infudit, vt laborioſiſſima in Indias nauigatione decoram ſalubremq; mercari necem iam tum cęperit meditari.

Fuſc. Mira narras: vt minùs admirer, tam procul & ad vltimas vſq; plagas proſpexiſſe ac perſuaſiſſe Marcellum, cui tam liberaliter affulgens facem prætulit Cęlum.

Cand. Illud certè non poteris non vehementer admirari, ad Indos anhelanti properantiq; robur & impetum addidiſſe lethale vulnus.

Fuſc. Quò euadas, intelligo. Rem tamen non ſatis mihi exploratam cupio ex te planiùs audire.

Cand. Aram in Proregis Neapolitani ædibus tẽporariam, Marcelli cura Magnę Virgini cõceptę nuper excitatam ornatamq; ſpoliabant aulęis miniſtri: cum ecce tibi cuiuſdã illorum è ſcala ſublimis ſeu cinctu, ſeu manu bilibris malleus in dexterũ ipſius Marcelli tempus delapſus grauiſſimo vulnere illiditur, ac ſemianimem ſolo affligit. Domum refertur exanguis, & ſanguine vbertim fluens. Deniq; poſt impatibiles vulneris dolores, poſt vomitiones, ardentiſſimas febres, totius corporis rigores, crebra deliria, neruorum reſolutionem, ſtuporem capitis, inediam quatriduo vires depaſtam, prima & vigeſima, nempe decretoria die ad vltimum vſq; mortis angorem cępit morbus ingraueſcere. Iam cæleſtis epuli viatico refectus longam cæli viam inibat: iam ſacro roboratus oleo ad eluctanda mortalis palæſtræ ſuprema diſcrimina ſe comparauerat: iam ſine voce motuque prægelidus & exanimis animam agebat: cum inopinabilis vox, alijs inaudita, Marcellum bis nomine compellat. Illico is rediuiuus manu ſilentium indicit, & mira in ſiniſtrã lectuli ſpondam agilitate conuerſus, hinc acceſſor, inquit: defixiſq; in penſilem Xauerij effigiẽ oculis, videt Xauerium ipſum peregrinantis

tis habitu, auguſtiore tamen vultu, ac cæli multum, vnde venerat, habente. Blanditer quærenti, malit ne oppetere mortē, an Indos petere, id vnum ſe malle reſpondet, quod eſſet è Numinis prouidentiſſimi voluntate. Tum iubente Xauerio, ac præeunte, conceptis de Societatis noſtræ more verbis religioſa vota inſtaurat, & Indicam ſimul profectionem vouet. Deinde lipſanothecam, vbi diuinæ Crucis reciſamentū, ipſiuſque Xauerij corporis particula ſeruabatur, affectæ capitis parti admouet: ſtatimq; ex capitali morbo, atq; adeò à morte ipſa reualeſcit. Quin etiam nullum in capite grauiſſimi vulneris veſtigium aut cicatrix, color in ore ſanus & validus, totoq; vires in corpore iuueniles oculis perſuadent mortifera profuiſſe vulnera ſanitati. Die poſtera in templo ad aram Diui Franciſci Xauerij ſacris operatur, cæleſtiq; dape nōnullos impertit: vniuerſa interim Neapoli noſtrā in ædem confluente, Marcellumq; Maſtrillum Franciſci Xauerij ſingulare miraculum demirante.

Fuſc. Mirarer ego cum cæteris mortalibus rem alioqui mirificiſſimam, diffracto videlicet è capite non fabuloſam, ſed veram Palladem, ſiue quærendæ ſalutis Indicæ ſanum & ſapiens conſilium extitiſſe: niſi ab incunabulis totus, quantus eſt, conflatus è miraculis Marcellus multitudine admirationem &

aſſi-

aſſiduitate ſuſtuliſſet. Videtur autem Xauerius in Marcello ſe ipſum quodammodo à morte reuocaſſe, dilectam vt Indiam, ſuis ſudoribus cultam, optata quoq; ſanguinis irrigatione fœcundaret. Videtur preterea Marcellus, capitis imminutione atq; iactura vltimos apud Indos immortali gloria augendus, eiuſdem capitis glorioſo vulneri voluiſſe multò ante in patria initiari. Iam ego mihi gratulor nuperum meum capitale vulnus, quod (vt ego interpretor) Indicarum felix omen, & rudimentũ ærumnarum fuit: quia me vulnerato áliquatenus Marcello ſimilẽ fecit. Vtinam vltima primis reſpondeant, & caput hoc pār exitus maneat, vt ego abluendæ meo cruore Indiæ iam deuoui. Vtinam diuinũ oraculum, moderatoris noſtri cortina editum, mihi quoque bene ominato dicat imperio, Tu Marcellus eris.

Cand. Ediſſere, amabo te, Fuſce, rem ſcitu dignã, nec mihi tamen planè cognitam. Nam ea cum geſta eſt, ego iam Tibur conceſſeram, & huc per litteras allapſa compendiaria fama, viribus eundo auctis, aures meas animumq; ſupremi diſcriminis metu vulnerauerat.

Fuſc. Pridie ſolemnis diei, qui Annunciatæ Deiparæ ſacer eſt, aram in cubiculo pro veteri erga diuinam Matrem ſtudio, quàm potui, compoſitiſſimam excitaueram, vt corde illi

illi meo litarem. Deniq; congruentem gratumq; Nazarenæ, hoc eſt floridæ Virgini ornatum è floribus quæſiturus, ad externũ amicum per vrbem properabam: cum ſubitò decliui lubricoq; loco, fallente veſtigio, prolapſus, ſiniſtrum ſaxo tempus affligo. Exurgo: manu noxam exploro: tuber ab illiſu extumuiſſe ratus, cauum hiare vulnus, vberiq; ſcatere ſanguine deprehendo. Primam vulneri non admiſi ſine animæ defectione medicinã. Quoties deinde per plures dies vetus diuellenda, quippe glutinoſa, & recens imponenda foret; toties exulcerato ſẽſu doloris acerbiſſimo, ipſa vulnus remedia geminabant. Illo tamen cruciatu ſuauiſſimè fruebar, qui meo me Marcello, quanuis longo proximum interuallo, ſociabat: quiq; vulneribus Indicis crueta tirocinia ponebat: videbarq; mihi vulnerarijs faſcijs obligatus Indiæ victima inſulata.

Cand. Si omine tam proſpero cadis, quidni ego cum inclyto Bilbilis poëta exclamem.

Mart. l. 1. Epig. 14. *O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium!* Quippe ab ipſo caſu in arduam Indiæ ſpem attolleris; hoc nomine Marcello par, quòd pro Virginis Magnę ara capite periclitatus, Indicum vitæ ſacrificium inchoaſti, Virginis eiuſdem beneficio implorandum. Iam verò præit Marcellus: iam terræ mariſq; immenſitatem virtutum ſuarum mirabili ſpectaculo implet: & vbiq; plura, quàm pedũ,

figit

ſigit veſtigia probitatis: iam Europæ populos, ſummoſq; Principes, vectoreſq; ipſos & nautas in admirationē ſui ac venerationē trahit. Quis enumeret octimeſtris nauigationis incōmoda pluſquā decēnalia fortiter tolerata? quis ſuperatas reflātis Tartari ſexcentas tēpeſtates? Vbi tandem optatiſſimo Goę portu vector inclytus potitur, tanquā ſi virtus ipſa appuliſſet, ciuitas è portis vniuerſa ſtudio videndi colēdiq; effunditur. Quin etiam cęlum ĩpſum manifeſta dedit ſigna lætitiæ: nam Chriſti patibulo affixi geminę imagines oculos, non tam lethalium atrocitate pœnarum, quàm humanorū horrore facinorum, clauſos ad lętum chari hoſpitis aduentum repentè aperuerunt, Iaponem proſpectantes. Crux illa è cinerei coloris marmore percelebris, quam princeps orientis Apoſtolus, Thomas, Meliaporis in colle manu ſua ſtatutam adoraturæ Indiæ voluit eminere, vberem ſudit raro felicique prodigio (quæ popularium eius loci notatio eſt) ima de parte ſudorem. Vt eos quoque dies alter eiuſdem orientis Apoſtolus Xauerius hilararet, liberaliter profusèq; (ſi vnquam aliàs) miraculorum è cælo benefica miſſilia Goanum ſparſit in populum.

Fuſc. Impleuit iſta cumulatiſſimè gaudia Marcellus. Quem enim diuinus è Cruce Dux oculis præmonſtrauit, datis ille ceruicibus breui Iaponem obtinuit. Crucis Meliaporenſis

ſis mirabiles ſudores profuſo ſplendidè ſanguine auxit & colorauit: & inter Xauerij miracula pulcherrimum ipſe fuit tum Neapolitano à vulnere rediuiuus, tum Indico à funere immortalis. Sed chariſſimi ad ſepulcrum Xauerij pio quis aduenæ ſenſus?

Cand. Priùs Timanthes Agammenonis, Iphigeniã lugentis, deuelatum dolorem expingat, quã ego Marcelli, Xauerianum tumulũ inuiſentis, effuſiſſimumgaudium eloquar. Placet hìc piam eius aſtutiam euulgare. Cum in Europa inaudiſſet minaci ſancitum edicto, ne quis argenteum Xauerij conditorium recludere auderet: ab Hiſpanię Regina impetrat, vt opulenta inter donaria inducendã ſancto cadaueri ſacerdotalẽ veſtem ſecum deferat. Regalis hæc teſſera facilem patefecit aditum ad exoptatum ſepulcri ſpectaculum. Igitur noctis medio cum arbitris pauciſſimis è primoribus Goanis Patribus admittitur. Ecce autem videt argenteam intra vrnam ſupino poſitu exanime corpus ſpiranti ſimile, ſuaq; met ſanctitate veluti animatum, ampliore forma & auguſtiore, quàm ſpectari conſueuerit: colore ſubfuſco: carne ſuccoſa, tactuq; molliſſima: facie oblonga: capillo & barba nonnihil promiſſis, dubiaq; canitie reſperſis: oculis patẽtibus; ſiniſtra pectori admota: ſacerdotali habitu, ornatuq; plurimo gemmarum, quibus in ſepulcrali nocte aſſiduè dieſcit. Dicite hic

cæli

cæli Rhetores (vos enim rem tantam vni ſatis eloqui poteſtis) dicite, quanta, & quã adulta è primo ſepulcri, tam longa tam laborioſa nauigatione perquiſiti, cõſpectu eſt oborta Marcello lętitia : quàm dulces fluxit in lacrymas è duro ſcatens tumuli marmore voluptas : quàm feruidum tolerandi amorem è frigido Francíſci corpore pia oſcula ſugebant : quàm amplè in anguſto cadauere Indiæ ſalutem vniuerſæ amplexabatur : quàm pretioſas exuuias, & quàm opima ſpolia exiſtimauit, quod retulit, ſepulcrale linteolum Xaueriano ſanguine præfulgens pro regali ſacerdotalis amiculi munere, quo Xauerium exornauit.

Fuſc. O te, Marcelle, mirè felicem vectorem, qui longiſſimæ difficillimæq; tranſmiſſionis vitalem portum in funebri Xauerij domicilio habueris : quiq; principem Indiæ gazam in ſepulcri fodina inueneris! O mihi etiam vel per naufragia contingat hìc portus, vel cũ omnium iactura rerum hìc theſaurus obueniat! Cunctis emenda periculis felicitas videndi auguſti cadaueris, ad emacem publicæ ſalutis mortem animantis. Sed iam cũ Marcello, ad maiora ſemper properante, pergamus.

Cand. Ille (quis credat ?) mitiſſimus, idemq; Iaponicorum vulnerum cupidiſſimus ad bellicos Mindanai ſtrepitus vltriceſq; cædes diuertit, inermis inter armatos, & tamen

hoſtium

hoſtium telis impenetrabilis.

Fuſc. Diuertamus & nos ad mirum ſpectaculum, tua oculis narratione ſubijciendum.

Cand. Author fuerat Hiſpanorū perpaucis Marcellus, vt expeditionē ſuſciperent in barbarorum plurimos, qui duce Correlatō Mindanaum, Philippinarū ampliſſimam inſularū, quà viribus quà fraudibus occuparāt: eoq; freti perfugio & Aſylo maritimas Indię vias portuſq; Hiſpanis infeſtos excurſionibus, rapinis ac ſtragibus faciebant. Iam ſecūdis terra mariq; prelijs pugnatum: iam arcis agger primus & alter expugnatus: iamque tertium ac firmiſſimum propugnaculū acer inuadebat Hiſpanus: cum inter hoſtilem igne ac ferro miſſili tonantem fulminátéq; tempeſtatem, Marcelli, vexillum Xaueriana effigie inſignitum præferentis, ac ſuos voce geſtuq; ad victoriam inflammantis in latus diſploſo ex æneo maiore tormēto inuolans pila impetum facit. Cohorruit illico Hiſpanorum exercitus vniuerſus, alieno ictu perculſus ratuſq; Marcellum igneo volantis globi turbine longè diſſipatum, fruſtillatimq; diſcerptum, cum illo extincto victoriæ ſalutiſq; ſpem omnem expiraſſe ingemuit: damnauitq; conſiliū ſuum, quòd ad bellica diſcrimina tā beneficū vocaſſet caput. Accurritur vndiq; tragicam vt lanienam teſtes oculi vberiùs lugeant. Sed inopinantibus obijcitur ſpectaculum, cuius ſolida

voluptas

voluptas vberrimas liquitur in lacrymas. Vident leui ſolùm foramine delibata veſte, innocens corpori, ad pedes iacere rotundum ferrei globi fulmen, cui nefas eſſet eũ lædere, qui mortales Ioue prolixiùs iuuaret.

Fuſt. Diſce tandem vltimi barbaries mundi ab inſtrumentis immanitatis tuæ Marcellum reuereri. En ipſa belli maxima tormẽta affuſis innoxijs fulminibus ſuis virtutẽ adorant, quæ adamantinum illum facit, & Achille magis inuiolabilem. Quin etiam furialis ille globus ad metam vſq; fortitudinis, & ad eam conſtantiæ columnã longè prouectus, vlteriùs tendere non potuit, vt innocentiæ noceret.

Cand. Audi gemellum huiuſce miraculum. Excuſſa grandioris bombardæ pila caſſo impetu vanoque ſtepitu irruit in expictum, quod a Marcello circunferebatur, Xauerij ſimulacrum. Nimirum ad Cælitis immortalis iniuriam vulnificus peruenire globus non potuit, qui ad alterum Xauerium, nempe ad Marcellum, terreno domicilio propinquiorem, & adhuc mortalem, nõ collineauit. Sed nos dũ in inſula Mindanão moramur, properat Marcellus ad Iaponem, vt ſequacem fugiat hoſtis triumphati gloriam: vtq; fugientem hìc mortem, illic parabilem nanciſcatur. Vix è portu ſe penetrarat in ſiluam, vt ad inſtar ſummi Sacerdotis Chriſti, pro humani ſalute generis

in

in crucis ara facturi, animo priùs inter preces, quàm corpore inter carnifices litaret: cũ ecce venatici ſatellites centeni quinquageni victimariã prædã indagant: & indicãte fumi nubecula, proximi videlicet omine ſacrificij, deprehendunt. Accurrunt, rabidè inuaſuri: medioque repentè in curſu immobiles reſiſtunt. Ille in genua prouolutus, oculis in cælum ſupinis, brachijſq; ante pectus decuſſatis & iam præcipiẽtibus crucem, hoſtes nec fugit, nec animaduertit. Cæterùm in fronte præradians: nec oculis modò, ſed animis quoq; affulgens integritatis intimæ dies extima præclarè oſtendebat, eum hoſpitem officijs eſſe, non vinculis obligandum. Vbi deinde circunſpiciens Marcellus milites vidit veneratione cunctabundos, & admiratione defixos: blandè compellans ait, Accedite filij, meq; lubentem comprehendite. Tum illi emicantis in ore virtutis maieſtate perculſi, captiſq; potiùs quàm capiẽtibus ſimiles, trepidè reuerenterque ſic manus inijciũnt, vt dare videantur. Mirum dictu. Subito vehementique terra ſuccuſſu ab innocenti reo vincula excutere molita, proximos remotoſque ingenti terrore concuſſit.

Fuſc. At hìc ego non exclamem, O incomparabilem Marcelli conſtantiã, quæ conſummatam crudelitatem intrepida ſuſtinuit, quã

inchoãtem firmiſſimum elementũ ſine horrido tremore ſpectare non potuit! O præſentiam eiuſdem efficacem, qua bruta Iaponis terra mouet: motuq; vitam indicante, animatur ad cælum capeſſendum!

Cand. Funib⁹ cateniſq;vndiq; obſtringentibus impeditiſſimus cõplurium dierum longinquo itinere ducitur Nangaſacũ, ad Chriſtianæ videlicet conſtantiæ palæſtram, & regiam carnificinam: ſtatimq; iudicio ſiſtitur, radioſa iterum luce circunfuſus: vt Iudicum demiratus confeſſus, in bono lumine illuſtrem legeret innocẽtiam Rei. Cum tamẽ in eũ quærerent de adito Iapone, religioſis exteris hominibus interdicto, reſpondit, cæleſti ſe iuſſu Franciſci Xauerij, qui multos ante annos Bungi Regem ac populares ſacro fonte luſtraſſet: quiq; delapſus è cælo Peregrini aſpectu palàm ſibi videndus ipſius immedicabile vulnus illico perſanaſſet, veniſſe legatum ad Iaponis Imperatorem, vt ſalubribus hic alloquijs diuinam edoctus diſciplinã, Chriſtò legislatori maximo, humanæq; ſalutis aſſertori nomen & animum daret. Tum hiſtoriam recuperatæ ope mirabili ſanitatis ac vitæ typis vulgatam, ſimulq; Xauerij perpictam, & rerum admirandarum effectricem profert effigiem.

Fuſc. Non vnum ille, ſed geminum Xauerij protulit ſimulacrum, dum exhibuit etiam ſe ipſum: & hoc ſanè auguſtius: illud enim

oris,

oris, hoc animi lineamenta referebat. Sed quid iudices? Debuit profectò iudicium in cultum tranſire, ſæuitia in clementiam pulchrè degenerare.

Cand. Quibus ius omne iudicibus eſt imperium & libido Principis, nullius ijs ponderis innocentia. Igitur qui omnia ſuis emolumentis, & aulica gratia metiebantur, crudeliſſimo Imperatoris edicto, æquitati præpõderante, iubent primo aquæ tormẽto Marcellum excruciari. E' furca inuerſus ſuſpẽditur, diuaricatis cruribus. Caput deorſum in aquę doliare labrum narium tenus immergitur. Tum obtorto magna vi pedum vinculo, ac repentè laxato, tam rapida cum totum corpus, tum ipſum caput vertigine rotatur, vt ſũmè cruciabilis circumactus ſæpe ſpiritum intercludat.

Fuſc. Appoſitum ſanè ac decorum barbaræ crudelitatis inuentum! Decebat enim cæleſtis indolis hominem incitatiſſima, cæliq; ſimillima conuerſio. Neq; verò pœna hæc eius interſpirationi officere potuit, qui puriorem, & hauſtum ex Deo ſpiritum, nulli obnoxium interclusioni, reciprocaret.

Cand. Priore aquæ cruciamento inexpleti, rurſus aqua crudeliùs deſęuiunt, molliq; elemento ſtrangulare adoriuntur. Supinum in ſcala collocant & circunligant, capite vltra ſcalam extante, lęuaq; irreligata & libera: vt, ſi doloris intolerans malit viuere turpiter,

H 2 quàm

quàm vltima pati fortiter,ea pectori admota in Chriſtianę religionis eiuratæ argumētum, rebellem dedat ſacrilego flagitio manum. Ad hæc aquæ vrnas quadringentas ſine intermiſſu, ſine requiete in faciem ingerunt, nullo interſpirandi ſpatio relicto: vnde fieri ſolet, vt pleriq; ſpiritum exhalēt. Marcelli tamen ſi non vitā,motū certè ſenſūq; omnē illud manuale diluuiū diuturnæ defectionis alto ſtupore demerſit. Vt ſe recepit, Ne ſit, inquit, miraculo, tortores, imbecilli corporis defectio, cū animus fiat inter tormenta robuſtior, pœnarumq; appetentior. Iudices autem ſeu longa ſęuitia defeſſi, ſeu lenta miſericordia permoti, ſeu crudelibus refectum inducijs, ad acerbiora ſupplicia reſeruantes,tantiſper in carcere inter catenas & cōpedes feriari iubēt.

Fuſc. Heu ferias à dolorū labore minimè vacuas! At vos deſipuiſtis, Iudices, dum aquis iugulare tentaſtis. Cur enim dulces necarent aquæ, cui maris amaræ pepercißent? Quare Marcello aquarum victori diuinus ille aſſonat plauſus, Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

*Cāt.*8.

Cand. Aquis inuictum ignis aggreditur: & in inſontem inimica elementa conſpirant. In frequentiſſimo lictores theatro igne ingenti excitato gladios & vncos excandefaciunt. Deinde Marcello in medium raptato veſtes non detrahunt, ſed impetuoſa dilaceratio-

ne

ne diripiunt, ſimulq; induunt pudore nuditatem: quam magis vſſit igneus verecundiæ color, quàm ignis calor. Tum candẽs multiplex ferrum cum intolerabili cruciatu adigunt in viſcera per eas partes, quas oculis veſte, auribus ſilẽtio modeſtia præuelat. Non tulit tẽpeſtiuè impatiens Marcelli patiẽtia tam fœdam pudoris iniuriam: &, Itane, inquit, Iapones, qui morum eleganti lautitia, grauiq; vrbanitate cunctis vos nationibus anteſtare gloriamini, humanitatem nunc omnem, & pudorem exuiſtis, vt in ea potiſſimùm incurratis membra, quorum vel in belluis aſpectũ humana refugit verecundia? Vniuerſum corpus in veſtræ ditione crudelitatis eſt: in hoc pro furoris arbitratu ſine pudoris vulnere ſæuite. Hiſce verberata verbis barbaries, quanuis impudens, erubuit, & modeſtiore ſupplicio reſipuit. Ab igne reuocatur Marcellus ad aquam, prędicto duplici liquido tormento duriſſimam. Inde enatat exanimis ad parem naufragio carceris portum.

Fuſc. Solent naufragis etiam barbari miſereſcere. Quare Marcello ex iſtis orietur fluctibus ſpes aliqua tranquillitatis.

Cand. Quin imò in ſicco decumani tument ærumnarum fluctus, extremumq; imminet vitæ naufragium. Arundines dicuntur admotę, non inanes ac leues ad lędendum: ſiue in ſegmenta exacutæ, ac ſummis digitis ſecũ-

dùm vngues inſertæ acutiſſimi ſpiculũ doloris infixerint: ſiue pice, reſina & ſulphure opplete, olidiſſimo ſuffitu exanimantem animam barbaro more per nares infuderint.

Fuſc. Tandẽ fatentur vel inuiti ſe vinci tortores, dum arundinibus torquent. Nimirum robuſto & in pœnas æneo Marcelli animo arundinei generis, leuiſque ponderis ſunt grauiſſima ſupplicia, quæ tolerando infringit ac ludit.

Cand. Mera loqueris oracula. Immaniſſimum quoque apud Iapones & pleriſq; lethale, quod a Foſſa nomen habet, cruciamentum ludo fuit Marcello, & voluptati. A lictore denuntiatum, tanquam decreti nuntium imperij, iucundiſſimè audiuit, illatum fortiſſimè pertulit. Ecce autem optatiſſimi nuntij gaudio geſtiens paulatim ſublimem ſe tollit ab humo: & veluti liber in vinculis, antequam rapiatur, animo præuolat ad ſupplicium. Ecce palàm oculis ſatellitum Iudicumque tertiùm illuſtri vultu Lucifer: tortoribus antè ſolem diem præfeſtinat: & noctu ſibi ſol eſt, præmaturè properans ad occaſum. Educitur è carcere Marcellus, ipſis ludibrijs verendus, dextera capitis parte raſus, ſiniſtra capillatus, eademque rubro colore infecta, capitalis cruoris ornaturam purpurã vniuerſo corpori promittens: ..culeata è ferro lamina

os

os prçcludente elinguis, muto tamen patientię documento eloquentiſſimus: nigrã noſtratem tunicam, ad genua pertinentem, indutus, cæterum corpus nuda ignominia opertus: nouo more ouans eques, vtpote ipſo magis equo, vinculis vndiq; alligantibus, frænatus: deniq; grandi pagina probrosè inſcripta ridiculè a tergo litteratus. Cum ornatu hoc funeſtiſſimo procedebat ad funus, circunſtipante militũ agmine, ac Senatu Iudicum ſubſequente. Ex hominũ multitudine infinita nemo vnus fuit, qui hominis exteri, ac deformem in modum ad vltimas ærumnas traducti miſeram conditionem ſibilo (vt mos eſt) cachinnoque proſequeretur: ſed mirum vbiq; ſilentium, & ſignificata ſuſpirijs lacrymiſq; commiſeratio, ſupplici etiam geſtu veneratio. Ille vultu interrito & hilaritatem ſpirãte, oculiſq; in cælum, nempe in triumphalis patiẽtię capitolium intentis, glorioſam trahebatur ad necem. Ventum erat ad metã ſtrato doloribus curriculo dignam, ad patibulum. Scrobem effoderant ferè bicubitalem: vtrinq; ſtatutis geminis bicornibus arrectarijs tigillis, ac tertio tranſuerſario ſuperimpoſito iugatoq; furcam erexerant in ſuſpendium. Marcellum, vinculis & paſtomide liberatum, equo deſilire iubent. Ille, vbi fari potuit, grates agit Præſulibus infinitas pro capitali, quam in ipſum tulerant,

ſententia, & pro ſuſcepto ad eum locum itineris incommodo. Tum lætiſſimo intuens vultu paratum ſupplicium, Iam profectò intelligetis, inquit, quanta ſit à nobis adorati potentia Numinis, quo animante inermes cruciamēta nulla pertimeſcimus: quantiq; ſit pretij ſempiternæ vitæ ſperata felicitas, quā longiſſimè quæſita & ærumnoſiſſima morte mercamur. Hæc elocutū carnifices arripiunt, & inuerſo capite pronum pedibus ſuſpendunt,& faſcijs funibuſq; arctè circunligato præſertim pectore: vt retardato ſanguinis viſcerumq; defluentiū pondere, lenitùs præfocetur: vtq; ſit in funebri cruciatu viuacior. Deinde genuum tenus in ſcrobem demittunt, quam tabulis operculant. Ita contrario poſitu præpoſterè viuum & ſemiſepultum plurimorum excubijs militum cuſtodiēdum Iudices relinquunt. Quatriduum pependit libratus ad exactiſſimę lancem tolerantiæ. Quin imò præter morem nullo ſanguinis & viſcerum defluxu, lætus & cæleſtibus delicijs recreatus illo cælum præceperat in ſepulcro.

Fuſc. Pace tua, mi Candide, dixerim, erraſti, dū inuerſo defoſſum capite Marcellū pronuntiaſti, oblitus, opinor, hominem recti ſtatus arborem inuerſam ab optimis rerum ęſtimatoribus appellari. An non vides, vt cæleſtis arbor, Marcellus, inhumato in ſcrobē capite radices tam celeres & firmas

egit,

egit, vt rectiſſimo celſiſſimoq; niſu ad cælum vſq; quatriduo adoleuerit ? vt ab inhumatione vegetiorem vitam coloremq; more ſtirpium duxerit cęterarum. Equidē huiuſce ſtaturam arboris diuino cum oraculo palmæ comparauerim, quæ ab ipſa depreſſione, victoria erectiore ac proceriore triumphat.

Cät. 7.

Cand. Etiam profligatum ante bellum triumphauit: quando eius patientia fuit, quàm tortorum ſæuitia, pertinacior. Igitur vitæ nodum, cruciatibus inſolubilem, ferro reſcindere decernunt. Marcello ex ea ſpecus nocte ſublato diem redonant, mox adimēdum. Ille vultu intrepido, iunctis ſuppliciter manibus, poſitis humi genibus, ſublatis in cælum oculis, pronis ceruicibus, ore Xauerium implorante, innumerabili populi multitudine commiſerante, Cælitibus cum Xauerio aſtantibus, (vt crediderim,) & animātibus, ſupremum crudelitatis ictum expectabat. Carnifex capitaliū vulnerum callidiſſimus magna vi acie gladium excitatiſſima librat in Marcelli ceruicem: & (ò planè mirandum, penitùſq; in Iapone inſuetum!) enſis, durę velut ſilici alliſus, ne relicto quidem ictus veſtigio, reſilit. Inſolentia ſpectaculi magno frequentiſſimi clamore theatri excipitur. Percuſſor ſuorum vel ignauiam vel clementiam lacertorum criminatus, altè ſublatum in enſem con-

conſurgit, & quàm poteſt validiſſimo conatu ictum incutiens, ſummam cutem leuiſſima ſolùm ſcarificatione ſignat. Tum verò tantus illum pudor ac ſtupor obtinuit: vt ferrum vel dolor, vel metus excuſſerit. Vniuerſa quoq; ſpectatorum turba rei nouitate attonita tacitis depoſcebat votis, vt innocenti reo parceret hominum inhumanitas, quem exacuti ferri duritia lædere vereretur. Sed erecto conuerſoque ad carnificẽ, pleno placidę hilaritatis vultu Marcellus, Agè, inquit, fili, Perfice quod Iudices imperarunt. Is pręter conſuetudinem admiratione ac formidine trepidus ac tremens, reſumpto languidè gladio Marcellũ, ſalutaria Iesv & Mariae nomina extremo ſpiritu reciprocantem, obtruncat ſexto decimo Calendas Nouẽbris, anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum. Sic animus ingens ingenti ſectę ceruicis vulnere magnificum paremq; ſibi exitum ex hac mortalitate laxauit: vtque cælum regali adiret ornatu, fuſi prodigè cruoris ſyrma purpureum traxit. Hoc genus mortis, quæ, dum vitam cum capitæ ſecurit, texuit immortalitatem, multò ante pręuidit prædixitque futurum, vt, poſt cæteros mortiferos cruciatus, decollaturo ipſe acinaci reſeruaretur.

Fuſc. Illo illo execti reciſi gutturis ſanguinante flumine

flumine torrentior extincti Marcelli purpurea eloquentia piam Religionis cauſam efficaciùs apud Iapones perorauit, quàm ſi parciùs anguſto viuentis ex ore candida fluxiſſet.

Cand. Indoluit immeritam necem ſpectatrix ipſa barbaries, illamq; miſerabili ſtatim gemitu fremituque proſecuta eſt. Milites verò & carnifices ea ſibi eſſe de integritate Marcelli comperta palàm dictitabant, quorũ ſi aliquando euulgandorum libera poteſtas fieret, non dubitare ſe, quin orbis eſſet vniuerſus admiraturus. Vt nemini mirum ſit, ſi Marcellus, & ſanctitate præſignis, & alter Xauerius appellaretur. Tam indigno funeri publicus terrę cęliq; dolor iuſta perſoluit. Statim enim à funere terra ſic mouit, vt tota cum vrbe oppida omnia, proximumq; mare ſonoro quaſſu intremuerint. Sol quoque atratus diurnam repetè noctem Iaponibus, ac præcipuè Iudicum, ad innocentiã dignoſcendã & patrocinandam tenebrionum, ędibus offudit.

Fuſc. Mouent me inſolita hęc funeraria prodigia, vt eorum alias probabiles cauſas perueſtigem, piumq; coniectorem agã. An in ſcelere necis iniquiſſimæ ideo terra nutauit, quia libramento deſtituta eſt æquitatis? An vt exequias exſtinctæ in terris Aſtrææ faceret, pullam noctem induit Sol? An quia

Mar-

Marcellus cum integerrima vita, tum atrociſſimo funere ſimillimus Ieſu Sodalis pro Iaponum ſalute obierat: ferè ſimili commiſeratione ſubeunte, cælum tenebris, terra tremoribus iterum parentarunt? An denique voluit imus ſuperuſq; mundus, hic dũ nigrat, ille dum trepidat, lętam in cruciabili letho Marcelli conſtantiam eloquenti prodigio laudare: dũ ſine horrore ſpectare non potuit, quod intrepido ille pectore tolerauit?

Cand. Iſta tu quidem ingenioſè ac piè. Sed illi, reclamante natura, impiè ſæuire pergunt, ac mortuum rurſus occidũt: imò vt millies occidant, vtque nulla ſit corporis pars inuulnerata, minutiſſima cadauer in fruſta concidunt: exinde ſubitariam in pyram coniecta cum inſuccata cruore terra comburunt: cinefacta in Tamachinum flumen, quod vrbem alluit, proijciunt. Ita per ignẽ

Pſal. 65. & aquam luſtrali tranſitu Marcellus in oblectamentum educitur ſempiternum.

Fuſc. O cineres etiã in aquis ignei, meriq; ignes! quippe qui liquentis in elementi ſepulcrali cryſtallo ad immortalem gloriam tranſlucetis, & ad heroicam mortem inflammatis, meq; medullitus peruritis. O vtinam, cineribus iſtis mihi facem pręferentibus, per Iaponis flammas, & aquas, & gladios, perq; omnia ingenioſæ immanitatis cruciamenta liceat purpurea Marcellum, candida Xaue-

rium

rium luce paludatum inter Cælites conuenire. Sic in oriente occaſus ad inocciduum me prouehet meridiem.

Cand. Qui magnanimam iſtam tibi oppetendæ vitalis necis mentem iniecit, ſic vota fortunet Deus: vt Marcellus alter è prioris cineribus, Phœnice felicior quia longæuior, obituq; immortalis reuixiſſe videaris. Sed iam, mi Fuſce, facit ſeneſcens dies ſe tibi cognominem, dum ſeſe infuſcat: maioreſq; cadunt non de hoc ſolùm pulchrè procero, ſed alijs quoq; altis de montibus vmbræ: quę ſine ſolario, luce clariùs indicant, horam eſſe cum Sole remigrandi..

Fuſc. Grates debeo & ago pro ſingulari erga me promerito innumeras, quòd me, dum adhuc eſſem Romę, tecum Tiburi colloquentem geminaſti: quòdq; vnus tuas meaſque partes narrator pariter & exornator cultiſſimus impleſti. Quare, contra quàm me aſſeuerantem induxiſti, ornatiorem futuram narrationem tuam, quàm exornationem meam, aio, vtranq; fuiſſe ornatiſſimam, quippe tuam. Vt ipſe Troiano Iudice incertior arbiter ambigas, vtra formoſior. Illud autem poſtremò laudatum à te prolixè Marcellum precor & imploro, vt vberem tibi laudationis è cęlo vicem ſuo meoque nomine rependat.

REMVS CAPTIVVS TRAGOEDIA

COLLOCVTIO IX.

REMI apud auum Numitorem capite periclitantis tragœdiam ſcribendo luſeram iuuenis amicorum ſuaſione Patrũ, Valentini Mangionij, ac Petri Malaſpinæ: qui ſeueriores Muſas amœnioribus amicantes, longè diſcretum ingenioſè Lyceo iunxere Parnaſſum: quiq; non prudentia minùs, quàm intelligentia præſtabant, vt lautè adminiſtrata deindè munera comprobarunt. Et Petrus quidem Malaſpina ęuo adhuc florens, indole frugifer, non ſolùm ſpeciem, ſed etiam virtutem imperio dignam præſetulit, cum tragicum Romano in theatro ita Criſpum egit: vt non alium heroica inuictaq; fortitudine triumphalem filium, ab auguſto magnoq; parènte Conſtantino cæſum nouercalibus impudicæ Fauſtæ odijs, vniuerſa effletis oculis Roma crediderit. Quin etiã plures idem extra ſcenam & fabulam infauſtas integritati Fauſtas prudenter pudicus adoleſcens triumphatricè ad noſtrum ordinem fuga eluſit. Igitur hi Patres cum in conclaui meo de me aliquando pomeridiani quærerẽt, quo meus loco Remus captiuus

tiuus eſſet : optimo, inquam : iam enim è captiuo libertus vincula calamitatis & calami euaſit. Tum illi, Solutus te, inquiunt, obligat Remus, reumque facit officioſæ humanitatis tuæ, qua nuperam iſtam fabulam cupientiſſimis nobis legẽdo cogeris exhibere. Quibus ſic ego : Sinite (quæſo vos) ſi pudori meo conſultum vultis, vt meus, quanuis liber, ſilentij carcere prematur ac deliteſcat Remus, & volũtarias iuueniliter inartificioſę incultęq; ſcriptionis meæ pœnas luat : ne felix ab exitu tragœdia, patefactis vitijs fiat infelix. Cum illi nihilominus euiciſſent, pertinaciter inſtãdo, vt legerem, cumq; aſſediſſent : mos, inquam, gerendus eſt amicis optimis. Vos interim auribus veſtris, quas ego tragico cruciatu implebo, conſtantem patientiã medicinam facite.

ARGV-

ARGVMENTVM

Remus Romuli gemellus, Martis filius ex Rhea Syluia, vel Ilia Veſtali, Numitoris legitimi Albanorum Regis Nepos, apud ignotum Auum ignotus ipſe in capitis diſcrimen vltimũ vocatur, Quare Romulus, vt captiuum fratrem à vinculis ac ſupplicio vindicet, Amulium Albæ Tyrannum, et Numitoris fratrem natu minorem, cuius iuſſu gemelli adhuc infantuli in profluentem Tyberis aquam miſſi fuerant, improuiſus obtruncat. Huius ergo cædis opportunitate, ac Fauſtuli præſertim induſtria (hic regii pecoris magiſter erat, ac gemellorum nutritius) Amulius immanitati ſuæ par præmium miſero exitu ſortitur: Remus ex ipſo penè funere, è diuturno carcere Ilia in libertatem aſſeruntur: agnoſcitur à Nepotibus Numitor, agnoſcitq; inuicem Nepotes ſuos, quos antea hoſtiũ loco habuerat: hæreditarii tandem imperii dignitatem, quam fratris inuidia atq; auaritia extorſerat, nepotum pietate ac munificentia recuperat. Ex Dion. Halicarn. lib. 1. liu. lib. 1. Dec. 1. Plutarc. in Rom.

PER-

PERSONAE.

Romulus.
Lauſus Romuli comes.
Nuntius ruſticus.
Numitor Albanorum Rex legitimus.
Senex.
Amulius Albæ Tyrannus.
Pręfectus regię Cuſtodiæ.
Fauſtulus.
Remus.
Ilia.
Nuntius aulicus.
Milites.
Paſtores.
Lictores.
Chorus Ciuium Albanorum.

Fabula Albæ datur.

ACTVS PRIMVS.
Scena Prima.

Romulus, Lauſus.

Rom. P*Er ſacra ritè patria conſulto Ioue,*
Quæ tēpora vrbi prima fundandæ probet,
Cenina reduces templa nata.i ſolo
Mutamus. O formoſa luminibus meis
Albana tecta, celſus Aſcanii labor:
O chara ſalue patria! Sic vtinam tuis
Nouam det vrbem Iuppiter muris parem,
Quam ſorte flectat frater æquali Remus,
Paribuſque genitor Fauſtulus frænis regat:
Sed dubia certos ſacra fecerunt metus.
Lauſ. *Timere mitte Romule incertas minas.*
Timor minaces ſæpe mentitur Deos.
Rom. *Quæ, Lauſe, vereor, dira vidiſti omina:*
Vidiſti, vt altum victima attollens caput,
Et vulnus auerſata ſacrificæ manus,
Votis monebat Numen auerſum meis.
Lauſ. *Placata demum Numina oſtendit, ſacras*
Dū vulnere vno Taurus ante aras cadit.
Rom. *Quid illa monſtra viſcerum? liuens iecur*
Arcem occupaſſe cordis: alieno ſitu
Iacere cor: quæ cordis è ſcatebra fluit,
Trepidare venam principem: adnatas nigræ
Venas

Venas gemellas nube membranæ tegi:
Tandem è gemellis alteram felle infici,
Quantos tumultus nuntiant, quantas neces?

Lauſ. *Malè ominari conſequens omen vetat:*
Nam qui ſacratis armiger fuluus Iouis
Illapſus extis, corde ſublato, procul
Aërius abiit, ſpondet haud dubiis notis
Felicitati Romulæ facilem Iouem.

Rom. *At exta circùm ſordida errauit coma*
Flammæ volumen fumidum, et rixæ dedit
Indicia prima: cumque ſe bifida iuba
Criniuit ignis, ſciſſaque in partes duas
Sibi ipſa depugnauit, vnius ſacri
Diſcors fauilla, nonne præmonuit palàm
Diſſidia ſæua Ciuium?

Lauſ. *Melius iubet*
Sperare facies proſpera extremæ facis.
Nam clarus ignis, nitidus ac tandem ſtetit,
Vnumque rectus verticem cælo tulit,
Et explicauit auream purus comam.

Rom. *Spes aliqua mixto nubila aperitur metu.*
Dubium ſerenet gaudium vt melior Deus,
Albana fument rura pacali face:
Iunctæ laceſſant aſtra paſtorum preces.

SCENA SECVNDA,

Nuntius, Romulus, Lauſus,

O *Mihi viarum errore diuerso diu*
Quæſite, rebus Romule extremis ades,

Ades ò cadentis vnicum auxilium domus!
In te recumbit ſumma, quæ nutat, ſalus.

Rom. *Agedum profare, quicquid eſt iſtuc mali.*
Superatne genitor Fauſtulus? frater Remus
Viuitne? vel, quod horreo?

Nunt. *En ipſos metus*
Tangis. Supremus hic erit fratri dies,
Niſi vincla ſoluis, et neci fratrem eripis.
Trepidus referri hæc Fauſtulus properè iubet.

Rom. *Quæ monſtra? quæ portenta? rẽ planè refer.*

Nunt. *Vbi rupe notum ſub Palatina nemus*
Medium receſſu pandit obſcuro ſpecum,
Huc luce venit frater heſterna tuus,
Inter Lupercos nuda facturus ſacra.
Iam veſte poſita, pelle ſacrifica latus
Incinctus, excurrebat in morem: Remo
Ibat iuuentus plurima in morem comes.
Numitoris ecce paſtor innumerus, tibi
Fratriſq; pariter hoſtis è latebris adeſt:
Quas nequiit in te, vertit in fratrem manus
Hic torre obuſto armatus, immane hic fremẽs
Rapta ſecuri, ſtipite hic nodis graui.
Furor miniſtrat arma: quod cuiq; obuium eſt,
Facit ira telum. Nuda quid contra cohors,
Quid Remus inermis valeat? eſt auſus tamen
Pugnare contra: vinctus, haud victus manũ
Dedit: vel inter vincla ſpirabat minas.
Illi reuinctum ſtrenuas tergo manus
Iuuenem ſub arces Regis Albani trahunt:
Hic occupata pabula, exactos greges,
Commiſſa ſæpe bella iuuenili manu

Conqueritur hoſtis: vulnus hic etiam recens
Oſtentat aliquis, dextera impreſſum Remi.
Ergo, vt furori faciat hoſtili ſatis,
Dicere parantem multa pro cauſa ferox
Cauſa Tyrannus damnat indicta Reum:
Hanc et nefando funeri dicit diem.
Sed læſa quoniam iura Numitoris videt,
Officia rapti vt eluant ſceptri notam,
Dat innocentem fratris arbitriis Remum.

Rom. *At ò Tonante ſcelera qui fremitu increpas,*
Qui criſpiſulca ſcelera iacularis face,
Scelus hoc inultum ſuſtines? tantum nefas
Impune pateris? vindices partes, reor,
Fratri relinquis fratris in ſummis malis.
Ita eſt. Eatur tela per, et hoſtes: viam
Manus hæc recludet: eximã fratrẽ, aut cadã.
Hàc ſequere Lauſe

Nunt. *Siſte præcipitem gradum:*
Fratris ſaluti cautior vindex veni.
Hoc, Romule, etiam Fauſtulus cautè monet,
Paterna repetas rura, collectos celer
Armes agreſtes: neue denſato globo
Pubes tumultus ruſtica vrbanos agat,
Immiſſa portis turba diuerſis, forum
Conueniat vrbis: Fauſtulus veſtẽ huc ſtatim
Mutatus aderit, bella docturus noua.
Se *quid moueri neſcio prorſus vetat.*

Rom. *Imperia ſequimur Patris. I uelox, refer*
Huc affuturam ruſticam actutum manum:
Tantùm ipſe nullas Fauſtulus nectat moras.

Romulus, Lauſus.

HVc ergo, Lauſe, monſtra vergebant ſacri:
Fraterna vincla, probra monſtrabant mea.
Promiſſa veſtris hæccine oraclis, prece
Quæſita longa mœnia hac ſuperi datis?
Inter ruinas nempe fraternas mihi
Quæ Regna ſurgant? fratre captiuo imperem?

Lauſ. *Romule querelis terere non præſtat diem:*
Fraterna præſens poſcit auxilium ſalus.
Solue agè ſolutus ipſe captiuas manus:
Pietatis inde præmia emeritæ, tibi
Optata ſurgent mœnia et Regni decus.

Rom. *Ignoſce Lauſe: non meus ſolùm Remus*
Vinclis tenetur: hæret his etiam meum
Cura ſequaci pectus. At nihil moror:
Procurro in arma: tota Romuleis minis,
Vndique coactis Alba militibus ſtrepat:
Arces latinæ machina, ferro, face
Quatiantur, excindantur, incenſæ ruant.
Armata pietas ſtrenuè bellum gerat:
Hac duce Tyranni barbarum abripiã caput:
Tabo natabit Regia: inimicam domum
Summa reuellam ſtrage. Sit fratris ſalus
Pretium, duelli cauſa ſit pietas mei:
Vtrumq; pacto maius imperio eſt mihi.
Tu ſparſa mecum coge Paſtorum agmina,
Portiſque ternos ſingulis infer viros.
Suſpicio neu qua vindices prodat dolos,
Lucida maniplis arma gramineis tegant:

Con-

Condicta ſpatia confluant, demum mone.

Lauſ. *Laudabis : aderit iuſſa quãprimùm cohors.*

CHORVS.

R*Ector Albanæ violentus arcis,*
Barbarus, pulſo Numitore, frater
Pace (quis credat?) veteres recenti
Exuit iras.
Traditur pacis ſpecimen fidelis
Arbitro fratri caput innocentis:
Nempe pax ſæuit, ſitit innocentes
Nempe cruores.
Crede ne paci Numitor doloſæ:
Illa, paſtori nimis immerenti
Sæua, fraterni malè vincla nectent.
Fœdus Amoris.

ACTVS SECVNDVS,
Scena Prima.

Numitor, Senex.

C*Vras volutat animus: et veteris memor*
Odii, veretur fratris officium recens.
Frequens amico tegitur officio dolus.
Vel ipſa metuo dona fraternæ manus,
Sæua meorum clade ſtillantis, meo
Sceptro furentis. Perfidus prædo Imperi
Sine fraude iuſti cedat arbitrii decus?
Qui me, meumq; perdere aggreſſus genus,
Ferus! nepotis potuit, AEgeſti mei,
Per luſtra timidas dum puer ſequitur feras,

Imbuere cæde patruam infanda manum:
Qui ſpem parentis alteram, heu vulnus mihi
Nunc alterum! Mauortio partu Iliam,
Raptæ timendam Regiæ, Regni ſacro
Amore cæcus carcere et vinciis premit,
Cupidumq; natæ probibet alloquio Patrem:
Heu qui reuulſos imperi hæredes auo,
Audax! gemellos patre Gradiuo ſatos,
In amne mergi, veritus vltores, iubet:
Huius carere munera inſidiis rear?
Spectata nondum fratris eſt feritas ſatis?

Sen. *Redire pietas fratribus tandem ſolet,*
Opeſque victis ducere ex odiis amor.

Num. *Me frater amet? Amulius fratrem colat?*
Cum morte vita, cum mari ventus, dies
Cum nocte, iunget vnda cum flammis priùs
Fœdus fidemque, quàm vetus fratris furor
Miteſcat vnquam.

Sen. *Quam tamen fraudem times?*

Num. *Omnem. Tyranno fratre quid tutum putem?*

Sen. *Quò tuta tibi ſint omnia, incertæ ſpei*
Color ſerenet nubilæ frontis metum.
Magis Tyrannos acuit expreſſus timor.

Num. *At horret animus puberis cruda Rei*
Sæuire cæde: patrius heu mentem ſubit
Senſus: cruore nate ſuccurris tuo,
Succurris vndis merſe Tyberinis nepos:
Ego, orbitatem dum miſer ploro meam,
Natis parentes ſæuus orbabo ſuis?

Sen. *Sæuire pietas, pœna cum ſontes premit.*

Num. *Crudele nimiùm funere indigno leue*

Ex-

Exigere crimen.

Sen. *Crimen an iuuenis leue*
Induit? agreſti ſæpe qui fidens manu,
Armenta prohibet pabulo, Numitor, tua:
Finitima violat iura camporum: ſuos
Violentus aruo immittit alieno greges:
Miſcetque bella, et clade paſtorum impia
Amica pacis rura funeſtat ferox.

Num. *Non iſta tanti bella, quæ magni nece*
Iuuenis luantur. Forſan haud rixas prior
Accendit: at regeſſit, excitus meo
Paſtore, damna. Quid? quòd ætatis vapor-
Dum flammat animum, flore dũ primo viget
Sanguis, iuuentæ multa donari decet?
Quid? quòd feroci pectore exuperans puer,
Nil ſpirat humile, voce nil timidum ſonat,
Nec agreſte frontis indoles præfert genus.

Sen. *Vrgent Tyranni iuſſa, qui puerum neci*
Depoſcit: vrget immirens in te furor,
Si deſtinatum ſubtrahis pœnæ caput.
Ferox Tyrannis gratia: irrites, caue.
Huc adde, conſtans fama quòd paſſim canit,
Si longa iuſſum differat lethum mora,
Fratrem affuturum Remulum armato globo
Septum ſuorum. Fuberem dextra ferunt,
Animoq; cunctis obuio inuictum malis,
Et præferocem ruſticæ ſtudiis manus,
Quæ nil timentem ſequitur imperſe Ducem.
Eximere charum certus hic letho caput,
Heu quantus aderit, agmine immiſſo ruet
Quantus per vrbem? vindici ferro micans

Quales

Quales ruinas ciuium atq; aulæ dabit?
Defende Numitor vrbis excidium tuæ,
Et impia arma cæde properata impedi.

Num. *Ain? labaſcit patria? actutum Reus*
Puer enſe noſtro, patria incolumi, cadat.
Fraterna Regnum inuidia, non Regis fidem
Eripere potuit, patriæ aut ſtudium meæ.
Iam bella, faxo, dirimat effuſus cruor.
Piger (quid hoc eſt?) greſſus ad cædē ſtupet,
Manuſque torpet, languet infractus rigor.
Egone vt tuorum carnifex decorum, puer,
Tuo cruore taminem mites manus?
Quæ pœna in alios æqua, crudelis poteſt
In te videri, puberum ò flos, ò lepos.
Pietate ſed quò deuia, trepidæ immemor
Patriæ, relabor? quò ſenem iuuenis trahis?
Miſerande iuuenis! an pius ſenſus magis
Nati, aut Nepotum gliſceret pœnis mihi?
Patriæ ruinas inter, et caſus Remi
Alterna fluctuatur heu pietas! mei
Impos ſeuero meliùs excedam foro.
Iudicia ſæua tranſigat frater: Remum
Fratri Tyranno reddo. Qui fratrem poteſt
Spoliare *regno, rapere qui vitam ſuis,*
Carnifice meliùs dextera plectet Reos.

SCENA SECVNDA.

Romulus, Lauſus cum Socijs.

Q*Væſitus urbe Fauſtulus tota mihi,*
Nec viſus vſquam. Timeo ſuſpectas moras,
Et

Et ſera Fratris timeo ſupremis malis
Auxilia noſtra.

Lauſ. *Si quid auxilio moram*
O beſſe reris, Regiam arrepto celer
Inuade ferro: præripe immeritum neci
Fratrem imminenti. Fida glomeratis Ducem
Te ſequimur armis legio: ſin etiam iubes,
Alacres præimus. Summa cum vergit ſalus,
Spes vna in armis.

Rom. *Patrii ſanctum Imperi*
Niſi pondus armis necteret noſtris moram,
Monita occupaſſem, Lauſe, iampridem tua:
Arces ſuperbas pube denſata prior
Aggreſſus, imo verterem hanc molem ſolo.
Sed patria cohibent iuſſa præcipitem impetũ;
Religio nato eſt maxima imperium patris.
At, dum moramur Fauſtulum, quidni mala
Fraterna meliùs Ciuium ex illo grege
Scitemur? Animus vulnera infelix ſua
Tractare gaudet.

Lauſ. *Ne quid indicii tamen*
Genere aut amore proximum prodat, caue.

Rom. *Haud ſum monẽdus. Nobile Aſcanii genus,*
Albana pubes dicite, an verus meas
Afflarit aures rumor, egregium manu
Animoque Regis puberem læſi Reum
Pœnas cruenta morte luiturum graues.
Studio videndi fama nos lapſu vago
Ab vſque Latii finibus traxit procul.

1.Ch. *Nobis querelas, hoſpes, heu quantas moues!*
Hæc immerẽtẽ (heu vulnus!) hæc iuuenẽ dies.

Rom.

Rom. *Iuuenile pœna crimen arceri decet.*
Qui peccat impunitus, in peius ruit.
Quod ille facinus induit?
2. Ch. *Puero leue,*
Pulchrum feroci, ſplendidum forti: gregis
Vindex paterni, ruſticas pugnas ciet.
Lauſ. *Qua captus arte?*
2. Ch. *Quà queunt fortes, dolo.*
Facilè latentes hoſtium incurrit manus:
Inter Lupercos ritè dum Pani facit.
Rom. *Quonā Alba vultu iuuenis ærumnas tulit?*
3. Ch. *Indigna quò feruntur. Inſontis Remi*
Captiua vincla (nam Remi nomen Reo)
Miſeretur ac miratur: hos formæ lepos,
Hos mollis ætas, frontis hos placidus rigor,
Sed fortis animus omnium mentes ferit.
Lauſ. *Adulta Virtus, flore ſub primo nitens*
Creſcentis æui, ſplendidè vrbanos ſolet
Surripere amores: facilè et implorat pias
Oppreſſa lacrymas. Publicus Regem dolor
Non tetigit vrbis?
1. Ch. *Qualis Armeniis leo*
Ieiunus aruis nactus hinnuleum ruit,
Mouet arma nil miſeratus, atq; immane hiat:
Talis Tyrannus iuuenis in cædem furit:
Tamen vt furores regerat in fratrem ſuos,
Cruenta fratri arbitria Numitori dedit.
Rom. *Spes aliqua miſero: Regis exemptus foro,*
Numitore leuiùs arbitro pœnas dabit.
4. Ch. *Spem Numitor iſtam ſuſtulit nimiùm pius.*
Quis credat? ipſa obeſſe dum pietas cauet,
Perdit

Perdit, miſerias vt, puer, cumulet tuas:
Namque abdicatis Numitor arbitriis, Patris
Dum ſenſus animo iudicem excludit, foro
Excedere ipſe ſtatuit. Acceſſit ſeni
Recens labantis patriæ immiſſus timor:
Quendam veretur Romulum, egregii Remi
Natu gemellum, robore inuicto parem.
In aſpera ergo bella ne frater ruens
Duros agreſtes cogat, indomitum genus:
Aciem et maniplis ruſticam inſtructis agens,
Deliberato ſubitus excidio, ſacras
Irrumpat arces: proruat ferro, face:
Patriaque redimat clade fraternum caput,
Dum lenta iuſſam protrahit pietas necem,
Puer Tyranno redditur: lentæ necis
Heu rapidus omnes carnifex rumpet moras.
Rom. *Satis iſta, iuuenes: me quoq; hic tangit dolor:*
Repens oborta lacryma pietas madet:
Valete Ciues*: exitum haud longè moror.*
Res eſt in arcto, Lauſe: fraternis malis
Illacrymat Alba, et lacrymas noſtras ciet:
Ipſe hoſtis execratur hoc Numitor nefas:
Vnus Tyrannus fratris in cædem ruit:
Cædatur vnus: vnus hac dextra cadat.
Iam nos timemur: ſentiat veros metus.
Ego te nefande. Quò ruis præceps dolor?
Manũ heu moratur vindicem imperiũ patris.
Agite, ite ſocii: Fauſtulum propero gradu
Conquirite: ipſe regiam obſeruo domum.
Sed hoſtis ecce tumidus exportat pedem
Amulius: concedere à foribus decet.
SCENA

SCENA TERTIA,

Amulius, Numitor, Senex, Præfectus, Milites.

ANilia iſtæc ſomnia, et vanos metus
Ne finge Numitor Regibus: Reges rudem
Puerum tremiſcant, pecoris imbellis Ducem?
Mihi crede, vinclis trepidus alienis, ſibi
Cauet, ac latebris Romulus patriis latet.
Sed te prementem cardinem vitæ vltimum
Effœta veri, et victa canities ſitu
Curis amaris vrget, et falſo frequens
Terrore ludit iura deſuetum dare.

Num. *Quàm vera veri effœta canities canat,*
Vtinam periclo Patria non diſcat ſuo.

Am. *Patriæ cauebunt Principes: tu Principum*
Exequere iuſſa: facilè, quo torpes, metu,
Te liberamus: ne tibi quiſquam minax
Supplicia niſu iuſſa violento vetet,
Dirumque merito funeri eripiat caput,
Præſidia noſtræ fida te pubis tegent.
Accede fratri miles, et vigili latus
Tuere cura: ſi qua vis faueat Reo,
Decreta forti vindica ferro mea.
Tu, vindicandi cura quem ſceleris manet,
Vel fratris audi monita, vel Regis tui
Imperia, Numitor: ni Remũ extinguis celer,
Audita poſt hæc iuſſa, confeſtim loco
Habebere hoſtis. Hanc time hoſtilem manũ:
Grauia eſſe ſcito ſceptra ſpretorum Ducum,
Grauiora fratrum.

Num. *Nempe ſe fratrem vocat.*

Am. *Ductor reſiſte.*

Amulius, Præfectus.

M*Agna curarum quatit*
Animum procella : fratris hanc iuſti metus,
Viſuque triſti proximæ noctis ſopor
Infauſtus inuexere. Proh quanto labat
Horrore pectus, fata quò vergant, timens!

Pręf. *Magnanime Princeps, famula quē latè tremūt*
Latina Regna : cuius ad nutum affluat
Metuenda in armis pubis innumeræ cohors,
Quid tantum inermis bella paſtoris times,
Puerumq; agreſtem, Martiæ laudis rudem?

Am. *Haud equidem agreſti puberes partu editos*
Reor eſſe, Ductor, agminū haud rudes: Remi
Spectata in ore celſior ſpecies genus
Regale ſpirat: Romuli nobis frequens
Narrata virtus bellicum pectus probat.
Quid Marte poſſint, damna fraterni gregis,
Crebroque fuſus prælio paſtor docent.

Præf. *Quo reris ergo nobili Regum ſatu*
Creuiſſe fratres?

Am. *Heu moues ſtomachi locum!*
Præſaga ſi quid noctis oſtendit quies,
Abominatus Iliæ partus mihi,
Damnatus vndis, fraude ſeruatus tua,
Superat gemellus in meas clades Nepos.

Præf. *Hæc aſtra teſtor, naufragæ mortis ſtatim*
Peracta iuſſa: textili inclaſos ego
Vimine gemellos Albulæ inieci vadis:
Me gurges inſpectante præcipites tulit.

Si

Si fallo, ſi quid mentior, rupto vndique
In me coruſcus Iuppiter Cælo tonet:
Meque ad profundæ turbine immani Stygis
Detrudat vmbras. Noctis at diros metus
Effare: ſæpe eſt falſus interpres timor.
Am. Sit falſus vtinam cladis interpres meæ!
Nox alta iam ſilebat, et ſeptem piger
Clarum Bootes verterat Stellis iugum:
Leni ſilentem ſomnus allapſu volans
Fouebat Orbem: ſed recurſabat vigil
Cædis futuræ pectore inſomni furor.
Tandem furenti placida ſurrepit quies:
Quiete placida nec diu licuit frui.
Viſa eſt papillis prona diſtentis lupa,
Bibulis gemelli infantis vbertim labris
Mite vber immulgere. Prodigium meis
Ratus ipſe Regnis horridum, ſtricto ferox
Minitabar enſe: hic alter è gemino puer
(Horreſco memorans!) ore flammato minax
Erumpit in me: (quodq; ſuperabit fidem)
Ferro minacem inermis exarmat manum:
Sacrum reuellit regiæ frontis decus:
Sceptri verendum pondus attonito rapit:
Et deſtinato vulnere intentat necem.
Pauor quietem ſubitus excuſſit breuem:
Per ima gelidus oſſa diſcurrit tremor:
Sudor trementes falſus, et riuis fluens
Perfudit artus. Heu quid in miſerum fera
Numina mouetis? ille quis geminus puer
Facili mamilla pendulus mitis lupæ?
Hauſtus ferino lacte puerilis furor
Tan-

Tantumne potuit? Aliquis in funus meum
Aliquis nepotum proſpero ſoſpes Deo
Crudele bellum adornat. Heu trepida manu
Rapta obtinētur ſceptra! teneıntur tamen.
Immane magnis non vacat curis bonum.

Præf. *Inuicte Amuli, victor ac terror Ducum,*
Timere parce ſomnia atq; vmbras tuas.
Solet atra vigilem cura quæ vexat diem,
Miris quietem ludere horrendas modis
Mentita formas. Iuuenis in pœnas furens
Altè momordit pectus heſternus dolor:
Teq; inquietis percitum ſomnis ſtupes?
Quas naufragorum ſomnias etiam vigil
Pugnas nepotum? manibus his merſi occubāt:
Nec ipſa vaſti tantulos fluuii Salus
Seruaſſet vndis. Mitte nocturnos, precor,
Metus: tibiq; recipe lætitiam parem.

Am. *Decreta meliùs diluet cædes metum:*
Agè Ductor, illā Numitor approperet, mone.

CHORVS.

Vnius ergo puberis
In funus immerentis
Iurant furores omnium?
Flos integellus æui,
Pubente præcox gloria,
Spes innocens parentis,
Difflatus Aulæ turbine,
Regis peruſtus æſtu,
Sæuire iuſſi Iudicis
Ferro cadit reciſus?

Ah parce Amuli barbare:
Sat mollicella duris
Liuere colla vinculis.
Ah ne quid immerenti
Parata lædant vulnera,
Huc frater, huc amica
Succurre fratri dextera:
Heu pallidum futura
Exolue morte Romule.
At tu procul remotus
Non has querelas accipis:
Fratris cruenta neſcis,
Luctus tuos, pericula.
Vos ergo deſtituto
Vos innocenti puberi
Dii ſoſpites adeſte.

ACTVS TERTIVS,
Scena Prima.

Fauſtulus.

ADſum Magiſter Regii princeps gregis:
Regale ſed quod Fauſtulo et ſummum reor,
Vindex gemellæ prolis, atque altor pius,
Et genitor etiam creditus, magno grauis
Ilia ſacerdos Marte quam partu dedit:
Quam ſæuus vndis Regis obiecit furor.
Mea Regna ſiluas, et Palatinos lares
Deſerere cogor: vrbis atque inopes opes,
Claræq; ſtrepitum et ſplendidum fumũ domus
Celebrare, fictæ veſtis iniecta piè

Menti-

Mentitus ora: vt liceat affatu breui
Numitoris vti, et ſceleris ignaram ſui
Reuocare auitam cæde cognata manum.
Hactenus Amuli rabiem, et in fratre, in genus
Exempla veritus barbara, vnigenas auo
Potui nepotes, munere incolumes Deum,
Occulere. Nuno ſuprema captiui manent
Aliud Remi pericla. Nunc fauſtum Remo,
Dignumque moueo Fauſtulo et faſtis opus:
Quo domina ſurgat Alba, quod ſemper nepos
Loquatur ætas, fama quod cælo efferat.
Sperate melius Ilia, et Numitor: iubet
Sperare, vobis noſtra quod veſtis tegit,
Quod proditum beabit. Inueni diem,
Inuiſa quo vos vincla, captiui, iuuent.
Sed cur vocatu Romulus pridem meo
Properare iuſſus, noxias ducit moras?
Certè morari me Remi probibet ſalus.
Auxilia lento fida non repunt gradu.

SCENA SECVNDA

Fauſtulus, Miles, Præfectus.

AT cur abenas agmine inſtructo fores
Rigidus ſatelles obſidet? Non his ſolet
Limen tueri Numitor excubiis ſuum.
Præcluſit aditus ille præſidiis meis.
Audere certum eſt. Numen audentes iuuat.
Mil. *Reſiſte. Quis tu perditum atq; audax caput,*
Qui ſic potentum limina irrumpis Ducum?

Fauſt. *Senis petebam regii affatus breues.*
Adire liceat: magna Numitori affero.
Mil. *Prius ede nomen.*
Fauſt. *Edere haud patitur fides.*
Mil. *Improbe teneris. Aliquis hic errat dolus:*
Aliquod volutas regium in fratrem ſcelus.
Moriere, niſi citatus hinc tete auehis.
Fauſt. *Ego nulla (teſtor) ſcelera molitus, malè*
Aditu repellor; mite nec magni ſenis
Inhoſpitales pectus hos mores probet.
Præf. *Quis hic tumultus obſtrepit? quis, me Duce,*
Spectante me, me vindice, hic turbas ciet?
O lenta nimiùm pubis ignauæ manus!
Sic iuſſa Regis miles audiſti tui?
Mil. *Aditus negatos iſte tentabat ſenex.* *(dit:*
Præf. *Arripite monſtrū, extrudite. At quiddā exci-*
Facinus tenetur: quicquid eſt, puer huc cedo.
Fauſt. *Quin, oro, redde: facinus hic nullum latet.*
Præf. *Quæ mōſtra, ſuperi? Hūc alueum cerno? dedi*
Olim hoc gemellos naufragis fœtus aquis.
Regis vereri ſomnia incipio mei.
Profectò vterque ſuperat in pœnas meas:
Remuſque fors eſt alter è geminis nepos.
Perii, nepote ſoſpite. In furias ruet,
Sibique fraude perfida illuſum ratus,
Meo cruentam ſanguine explebit ſitim
Amulius. Ne facinus alienum luam
Immeritus: index facinoris, Regi alueus
Inuiſus, et ſecluſus arcano loco,
Indicia neget. At iſte quis tandem ſenex?
Arridet animo vultus, haud notus ſatis,
Nec

Nec rurſus idem penitùs ignotus mihi.
Aliquid odoror: tenue per veſtigium
Redit memoria, iuſſa cum fluuio darem
Pignora gemella, facinoris teſtem mei
Interfuiſſe regios quendam greges
Pauiſſe ſolitum. Dicerem hunc illum, niſi
Veſtis negaret ipſa paſtorem. At latet
Plerunq; verus veſte mentita dolus.
Eloquere, men' tu noſcis? Addubitat, pauet,
Pallet. Sat *iſte mutus eloquitur metus.*
Hic, hic latebra fraudis: hinc illam eruam.
Effare, an vnquam Regis agitaſti greges?
Fauſt. *Longo exoleta temporum tractu moues.*
Præf. *Vltro fateri renuis? inuitum dolor,*
Diræ ac doloris expriment artes ſcelus.
Vincite, trahite, ſiſtite hunc Regi Reum.
Abſtruſus imo carcere, et cæco ſpecu,
Tortus per omnes ſæpe pœnarum modos,
Inops, egens, ſqualore, pædore obſitus,
Retegere, quæ nunc occulit, ſerò velit.
Fauſt. *Fidei tenacem nullus euincet dolor.*

SCENA TERTIA

Romulus.

E*T adhuc moraris Fauſtule? Aſt heu quid miſer,*
Quid intuor? Proh Cælites veſtram fidem!
Heu nulla terris raptus an frater parum eſt?
Etiam ne genitor? vulneris reliquum mei
Rapitur leuamen? natus auellor patre?
Moriturus imò iungitur nato pater.
Cur ego relinquor? Iungar, ò iungar comes

Fratri, Patriq; vita diuiſo grauis.
At vos peritis interim! Heu furiis agor!
Sic odia finis? rapta ſic ſceptra obtines
Cruente lanio? purpuræ extortum decus,
Faxo, rubeſcat æquiùs tabo tuo.
Nunc agè per vrbē didita inſtructum cohors
Iurata glomeret agmen: et vindex pia
Fra ſe furores, vulnera, et clades agens,
Me duce, Tyrannum ac Regiam ferro ac face
Dilaniet, excarnificet, vrat, proruat.

SCENA QVARTA.

Numitor, Remus, Senex.

S*I, quod ſalutis omen et vitæ fuit,*
Me Rege, miſeris: quoq; nunc frater tumet
Prædo ſuperbus, regia ſceptrum manu
Molirer hæres: placida ſi latiis darem
Populis, vt olim, iura moderator pius:
Non iſta gemeres, iuuenis infelix, malè
Iniecta vincla, grauius aut vinclis malum
Iam non timeres: leuia donarem libens
Commiſſa: facilis damna donarem mea:
Darem iuuentæ multa, non durus nimis:
Animiq; ferret multa ſpectatus vigor,
Oriſq; maior indole agreſti decor.
Nunc alia Regni ratio: Regales tenet
Sæuitia faſces: in tuas pœnas, Reme,
Furit Tyrannus.
Rem. *Omnis impauidum licet*
Feriat ruina: te tamen, Numitor, libet
Spe-

Sperare meliùs arbitro rebus meis.
Num. *Heu ſpes inanis ludit, infelix puer.*
Iudicia m iior aſperat iudex mea.
Ren.. *Ambigua remoue verba.*
Num. *Me miſeret tui.*
Rem. *Grauioris hoc eſt nuntii pectus capax:*
Eff re apertè.
Num. *Fabor, vt mœror feret.*
Heu te Tyrannus! heu ferox! actū eſt, Reme!
Rem. *Decreta quanquam dura violenti Ducis*
Futura rebar: mitiùs noſtris tamen
Inhiare pœnis credidi. At quando ſedet
Sæuire cruda cæde, et indicta placet
Damnare cauſa: quando nec fratris dolor,
Nec miſera triſtis orbitas tangit Patris:
Moriamur. Hoc eſt fortis. Is vixit ſatis,
Diem ante forti cadere qui vultu poteſt.
Quem vincla nequeunt, forsā inflectet cruor:
Indigna forſan fata miſeratus Remi,
Seras cruori lacrymas fuſo dabit.
Num. *Vide, vt ſui ſecurus audiuit necem:*
Vt ore virtus ardua immoto ſtetit:
Vt ſiccus ipſe funeris luctum ſui
Nobis relinquit. Iuuenis heu quantus cadit!
Sen. *Mihi crede, Numitor, humile non illi genus:*
Nec tanta virtus ruſtico innaſci queat
Mapalio: et fortaſſe materno puer
Tibi iunctus ortu, Regio floret ſatu:
Fors et nepotem neſcius mactas auus.
Certè ſuſurro rumor incerto tuos
Muſſat nepotes viuere.

Num. *Infauſtum Deus*
Auertat omen, clade cognata manum
Vt inquinem. Nam rumor hic noſtras licet
Appulerit aures, appulit nulla fide.
Vtinam nepotes viuerent, lapſæ domus
Spes vnica! alter eſſet hic vtinam nepos!
Supplicia vita, vincla mutares, puer,
Sceptris auitis. Somnia at demens mihi
Quid iſta fingo? vulnus, infelix, meum
Quid aſpero? iam periit, heu periit nepos
Vterque: mihi crudele compertum nimis
Fatum, ac Tyranni cautus in pœnas furor.
Tamen, vt ſenectus credula eſt famæ parum,
Genus ipſe doceat.

Sen. *Fare, quo cretus patre?*
Qua matre genitus? quid tibi ſtudii puer?

Rem. *Mihi vetuſti ſerus Euandri nepos*
Eſt genitor Arcas Fauſtulus, ſub quo gregis
Arbitria pridem regii: ſed me parens
Fratris gemellum Romuli flauas prope
Laurentia vndas Tybridis viridi tulit
Ripa, iugiq; me Palatini nemus
Eduxit inter: indidit ſtudium locus.
Iuuat fugaces conſequi curſu feras,
Et rigida tenera tela iaculari manu,
Et innocentes ſtrage ſilueſtri iuuat
Sudare pugnas: cura nec ſegnis placet
Gregis tuendi.

Num. *Iam quid indubitem? hic nepos*
Non eſt vel ipſo teſte.

Rem. *Sed nunc ô mea*

Valete

Valete ſiluæ! non ego veſtris greges
Audax ferarum ſaltibus paſſim ſequar,
Non ſpolia referam victor, aut ſcribam meos
Cortice triumphos: aura nec veſtris loquax
Blandè inuoluta frondibus laudes Remi
Emurmurabit: funus at ſæuum gemet.
Tuque ò parens vterque: tu frater, magis
Dilecte vita Romule, æternùm vale.
Veſtro reuulſus vltimo amplexu cado.
Moriturus illud Numitor extremum precor,
(Te ſi qua mollit cura genitorum) meis
Me redde, humoq; patria condi velis.
Vterq; complectatur extinctum parens,
Viuum repentè quem ſibi ereptum dolet:
Miſerere vidui fratris, et lapſæ domus:
Vlteriùs odia tendere et pœnas veta:
Hoc ſanguine extinguatur implacidus furor.
Num. *Miſerande nimiùm iuuenis, agreſti quidem*
Obſcure partu, at indole illuſtris tua,
Tam fortis heu me ſqualor exanimat! meus
Si viuat, iſtos ſpiritus capiat nepos.
Extinctus heu non remittendus tuis,
At ſoſpes, at defenſus, at tutus fores:
Indigna ſed iudicia cum peragat furor,
Cædemq; anhelet, neſcius flecti, tuam:
Poſt fata cupido redditus ſaltem patri
Mæſtos honores cædis, et patriæ feres
Solamen vrnæ inane. Moriturus quoque,
Officia ne ſuprema tibi deſint patris,
En ego parentis te loco amplector, Reme,
Amore quem complector, vt prolem meam.

Rem.

Rem. *Dii paria, Numitor, pretia pietati tua*
Referant: referre ſqualor hic noſter nequit:
Vnum hic precabor: facilis audentem facis.
Num. *Expone votum: noſtra ſi poterit manus*
Sæuam necem leuare, ſolamen feret..
Rem. *En ipſa tangis vota: tua ſolùm poteſt*
Leuare mortem dextra: carnifici pudet
Manu iacere, turpis et lethi genus
Seruile refugit animus. O liceat tuo
Oppetere pulchrè vulnere! id ſupplex rogo.
Cadam beatus, ſi tua dextra cadam.
Tu læſus: (æqua poſco) tu pœnas cape.
Necis decoro genere ſolabor necem,
Quòd enſe magni victus occumbam Ducis.
Concede Numitor: genibus aduoluor tuis.
Nū. *Cor pepulit horror: liquidus in lacrymas dolor*
Tabeſcit oculis. Verba quæ audiui miſer?
Cadam beatus, ſi tua dextra cadam.
In vulnus imploratur hæc ergo manus?
Ferire nempe melior inſontem Reum,
Quàm liberare promptior. Pulchro at poteſt
Patritia dextra hæc ſupplicem letho dare,
Ingenua ſanè carnifex: laudem hanc mea
Crudelitas meretur. Ego potui (nefas?)
Sæui Tyranni ſæuior præco, necis
Referre iniqua iuſſa: fraternis ego
Furiis ſatelles aptus, infandi ferus
Sceleris miniſter, fortis in pueri necem,
Puerum innocentem vota in hæc demū traho,
Vt munus a me ſperet hoc unum, necem.
Te lædere vnquam dextera hæc poſſit puer?

Heu

Heu geminus æſtus pectus incertum rapit!
Parcã? Tyrannus inſtat. Extinguã? vetat
Inſolita pietas: indolis magnæ vetat
Iactura miſera. Vincis, heu vincis puer!
Viuas. Mearum fide curarum arbiter,
Fratri hæc Tyranno perfer actutum ſenex:
Te per ſenectæ ſplendidas supplex comas,
Fraterna te per iura, iam feſſus malis
Anniſq; Numitor, precibus et lacrymis rogat:
Vinclis ſolutum ſupplici vt dones Remum.

SCENA QVINTA

Senex.

SQualor Remi, piuſque Numitoris dolor
Inflexit oculos: miror hunc etiam magis,
Deploro vt illum. Tanta nam pietas ſeni
Increuit vnde! puberi ignoto ſtudet
Impenſiùs parente, et in cælo locat.
Amor vnde tãtus, proloqui haud prõptũ mihi.
Equidem gemellos amne niſi norim obrutos,
Niſi genus ipſe ruſticum affirmet puer:
Auum nepotis fata miſereri rear.
Sanè vt nepotem diligit, qui ſic dolet:
Auumq; meritò ſuſpicer, qui ſic amat.
Sed quiſquis ille· Regium certè genus
Vultu renidet. Numitor at fruſtra eſt pius:
Eximere letho puberem heu fruſtra parat!
Neſcit Tyranni precibus inflecti tumor.
Ergo peribit indolis tantæ puer?
Tot ergo laudes vnus extinguet dies?
Ibo, ac Tyranno pectus implacidum prece
Iuſſa laceſſam. Vota fortunet Deus.

CHORVS

CHORVS.

Virtus ingenuo læta periclo,
Querna cæſariem fronde decora,
Inuicta tenerum quàm bene formas
Indole pectus!
Te primo iuuenis flore magiſtra
En audit ſtabili funera vultu:
Sanguis ſuppliciis obuius ora
Dulcè colorat.
Illuſtri moriens fine renidet
Sic extrema dies: ſic roſa odoram
Expirans animam languida grato
Purpurat oſtro.
O terrore puer pallide nullo,
Fortis digna color præmia portet,
Claro conſpicuus nomine, nullo
Decolor æuo.

ACTVS QVARTVS,
Scena Prima.

Amulius, Senex, Fauſtulus, Præfectus.

PErage imperata, prouola ad fratrem celer,
Hæc ſenior haud placitura Numitori refer;
Præcipitet omnes cæde properata moras:
Immobile animo ſic ſedet: ſic impium
Caput meretur, ſcelere dum cumulat nouo
Scelera priora: furere quòd captus nequit
Reus, en tumultus patre concito mouet.
Hic ille ſceleris purus? hic vitæ integer?
Hic ille viſus indolis magnæ puer?

Huic

Huic nempe vitam frater impenſè rogat?
Colit hunc ſceleſtum perditè, ac ſtolidè tegit?
Hem quas, nocenti dum fauet, peſtes fouet.
Quantus catenis liber effractis ruet,
Tantos tumultus qui catenatus ciet?
Proinde ſontem protinus frater (mea hac
Imperia) mactet: mittat abſciſſum caput.

Sen. *Imperia, Princeps, perferam actutum tua.*

Am. *At tu nec æqui iuris, aut ſanctæ memor*
Fidei, nefande fabricator facinorum:
Tu perduelli prole deterior parens,
Nati ſatelles improbi, aggreſſor Ducum:
Monſtrũ infacetu, ruſticum, immane, efferũ,
Tantum induiſti facinus in Regem tuum:
Sacras vt arces perfido aggreſſus dolo,
Prolis nocentis ſcelere protegeres ſcelus?
Non ſic abibis: crimen inſolitum lues
Inuſitatis mille pœnarum modis.

Fauſt. *Per ego verenda ſceptra,*

Am. *Quæ tentas vafer:*

Fauſt. *Te per coruſcum regiæ frontis iubar,*

Am. *Quod impudenti perdite obtutu inficis:*

Fauſt. *Per dulce Regis nomen,*

Am. *Illuſum tibi:*

Fauſt. *Per facile pectus ſupplici,*

Am. *Implacidum impio:*

Fauſt. *Per hanc amicam dexteram,*

Am. *Faxo, breui*
Vim dexteræ huius ſentias:

Fauſt. *Per hanc precor*
Miſeram ſenectam, cæde ſaturetur mea

Regalis enſis : parcat, ah parcat Remo :
Vnum ſat vna crimen eluitur nece.

Am. *Ego ne irreſectum ſtirpis inuiſæ feram*
Hoc germen vltra creſcere in clades meas?

Fauſt: *Grata n rependet lucis acceptæ vicem.*

Am. *Officia collocare priuatum eſt decus,*
Sæuire verè Regium.

Fauſt. *Hinc Regem odimus.*

Am. *Miſerè imperabit, odia qui populi timet.*

Fauſt. *Regnat beatè, ſtudia quem populi colunt.*

Am. *Ferrum tuetur Regna :*

Fauſt. *Sed meliùs fides,*

Am. *Extorta ferro.*

Fauſt. *Fortior ferro eſt Amor.*

Am. *Deſiſte tandem Regibus nimiùm grauis*
Obſtrepere : ſtolido meliùs hæc paſtor gregi
Iacta : tuiſue præcipe hæc pueris ſenex,
Aulam rebelli quatere quos motu doces.
Eſt mihi libido facere, quod doleas magis.

Fauſt. *Et enſe duro poteris heu tenerum latus*
Lacerare?

Am. *Quidni? citiùs in tenerum latus*
Deſcendet enſis.

Fauſt. *Nec mouet, roſeo lepos*
Qui floret ore?

Am. *Metere ſed flores decet.*

Fauſt. *Præcox peribit puberis vitæ indoles?*

Am. *Perire citiùs præcoces fructus ſolent.*

Fauſt. *Nec mollis æui ſtrenuus tangit vigor?*

Am. *Tangit : vigoris facere ſed pulchrum placet*
Letho periclum.

Fauſt. *Haud exigi letho ſolet*
Puerile crimen.
Am. *Hoc ſolet, mihi quod lubet.*
Fauſt. *Puer ergo magnus occidet?*
Am. *Proles tua,*
Te digna patre.
Fauſt. *Aperire nunc tandem locus*
Repoſta, Princeps: cæde cognata manus
Ne taminetur. Rere quam prolem meam,
(Hæc ſceptra teſtor) ſanguis eſt verè tuus.
Am. *Mentiris etiam? Deerat hoc vnum ſcelus,*
Regale generi genus vt aſſereres tuo.
Dolus tenetur: nullus eſt hæres mihi.
Heu corde trepido cæca tempeſtas tumet!
Fauſt. *Lætare: vterq; regius viuit nepos.*
Præf. *Perii!*
Am. *Nepotes quos mihi fingis vafer?*
Diffugia vana debitæ quæris neci.
An vtrunq; neſcis fluctibus iuſſum dari?
Præf. *An vtrunq; merſum manibus ignoras meis?*
Fauſt. *Vterq; ſuperat proſpero ereptus Deo.*
Am. *Inter feras ſiluaſq; deſertis locis*
Quæ fuerit altrix?
Fauſt. *Nemo quam credat, lupa.*
Am. *Occidimus: omnis penitùs euerſa eſt domus;*
Fuimus Duces: Amulii ſceptrum fuit.
Nunc recolo verus ſomnia interpres mea.
Ille, ille Regnis Iliæ partus meis
Nefastus, execrandus, inteſtabilis
Sæuo efferatus lacte nutricis lupæ,
Iterum rebellat: illa gentilis lues

Per

Per ipſa creſcit damna, Lernæo magis
Animoſa monſtro: merſa naufragio viget,
Et victa vincit. Numen ô nimium graue!
Demens quid autem conqueror ſæuos Deos?
Fauent, fauent, amica dum ſaluos mihi
Pueros reſeruant, Numina, et vinclis meis
Vltro redonant: ſcilicet mea vltio eſt.
Sæuire grauiùs durus hic mucro ſciet,
Quā molle Tyberis, mergere indocilis, vadum.
Quos totus amnis nequiit, hæc perdet manus.
Nunc nunc nepotes ſoſpites lætor, fruar
Vt ipſe præſens clade cognata: placet
Creuiſſe geminos, vulneri ut multo locus
Per adulta pateat membra. Te dignas tibi
Nunc ego Sacerdos victimas, Mauors pater,
Meliùs dicabo: viſcerum fibras ego
Scrutabor: omen imperi inſpiciam mei.
Benè eſt, abunde eſt. Sceptra nunc felix gero,
Remo cadente. At Romulus ſuperat. Metus
Heu ſuperat alter: fors et inſtructis ruit
Violens in armis. Sceptra nunc miſerè gero?
Quì cadere noſtros poſſit in caſſes fera hæc?
Ita ſit: tenemus. Stolidus hic operam ſenex
Nobis locabit: placida, quæ puero ferat,
Mandata dabimus, dabimus et pacis fidem:
Puer relictis alter vt ſiluis redux,
Regno miſerias mutet, atq; Albam regat
Ex parte dominus. Credula eſt ſpes Imperi.
Hæc facilè noſtros puberem in laqueos trahet.
Si uera narras Fauſtule: et rebus tuis,
Gemino et nepoti proſpera illuxit dies.

Secede

Secede mecum tu interim, et ſeriem doce.

Fauſt. *Benigna fata iam renidetis mihi!*
A quo timebam, facilis arridet ſalus.
Fundas Amuli ſceptra, dum parcis tuis.

Am. *Nunc Ductor animũ aduerte: placatũ ſubit*
Pietas nepotum: parco queis parcit Deus:
Tandem magiſtro ſanguinem cælo meum
Amare didici. læta ſed planè refert
Dum fata paſtor: in ſuburbanis placet
Tantiſper hortis, Regiis curis procul,
Haurire purum numen aprici Iouis.
Illuc præito: reliqua docturus ſenex
Siſtatur illic.

Præf. *In ſuburbanum cohors.*

SCENA SECVNDA,
Amulius, Ilia.

P*Ræmiſſus aula liberum arbitrio locum*
Ductor reliquit: prouido id cautum dolo,
Suſpecti vt aures arbitri arcerem procul.
Nunc, ſceleris ante sũma quàm retegat ſenex
Indicia, fonte prima repetantur ſuo.
Scrutanda mater. Iliam huc aliquis mihi.
Vt ſuſpicor, facinoris hæc diri caput:
Furtim hæc gemellos fraude ſeruauit Ducis,
Et aluit hoſtes. Hic ſed obnixè negat:
Iam prodet illa. Garrulum mulier malum,
Hac parte latebra criminis rimas agit:
Hinc eruatur. Carceris longa lue
Perdomita, duri victa ſupplicii metu,

Fraudem recludet Mater : et natis comes ,
Quos ſcelere peperit, ſcelere quos aluit , cadet ,
Sed ecce prodit. Anime nunc aſtus voca .
Vide vt iacentes obruat ſqualor comas !
Roſeaſq; viola tingat vt pallor genas !
Heu ſera pietas rediit, at rediit tamen !
Neptem iuuat videre, ſed cæco iuuat
Specu ſolutam . Solue iam vinclis manus :
Succede propiùs Ilia, amplexus pete ,
Nodoque necte colla pacifero mea .
Patruũ quid horres ! quid gradũ recipis, meus
O ſanguis ? omnis ira tranſierit : piget
Sæuiſſe : poſthac ſanguinis leges colam .

Il. *Nimis ſuperbum miſeră in amplexum vocas :*
Aſſueta vinclis dextra non audet Ducum
Vincire colla : humilior amplexus decet :
Satis eſt beatè regium amplecti pedem .

Am. *Agè animum et artus tolle: Regalis domus*
Generoſa proles, debitæ et regnis parens
Beata prolis regiam ſortem cape .
Vergens quòd ætas onere ſub Regni labat :
Fulcire certum eſt prægrauis molem imperi
Gemina gemellæ ſobolis, Imperiis pari
Virtute . Natos cæde ſubduxti bene :
Nunc è latebris regium ad clauum voca .

Il. *Heu cur Amuli perditæ Matri vetus*
Nouo dolore vulnus ingeminas ? tuo
Periere iuſſu : ad regna quid ſæuo ioco
Merſos repoſcis ?

Am. *Parce flebilibus necem*
Simulare verbis : iam pius patuit dolus ,

Induis

Inducis auri diuite illecebra Ducem,
Siluis recondat, obrui iuſſos aquis.

Il. *Ita, quod minari maximum vindex potes,*
Contingat: ita me fata maturo exitu
Iungāt gemellis: (nulla nam viuos ſuper
Spes eſt videndi) vt rudis ad inſidias, capi
Facilis puella, iuſſa non fregi tua:
Vt vigilis inter pubis excubias parens
Captiua nequii ferre morituris opem.
Hoc in meorum licuit exitium mihi,
Augere lacrymis Tybridis lymphas meis.

Am. *Fatere: ne cum lacrymis fuſo augeas*
Tybrim cruore.

Il. *Nempe quod votum eſt mihi!*
O vtinam abundè ſanguine et lacrymis fluēs,
Fluuio fideli mater extinctos ſequar!

Am. *Magnifica verba excutiet admotus dolor.*

Il. *Inter dolores illa naſcuntur mihi,*

Am. *Inter dolores, caſta quos virgo ſubis.*

Il. *Pugnare amanti Virgo non potui Deo.*

Am. *Pugnare caſtæ inceſta potuiſti Deæ:*

Il. *Cui tu coactam regiam hæredem dicas,*
Vt regna rapias:

Am. *Regna ne mulier regat,*
Viris regenda.

Il. *Regere debuerat Pater,*

Am. *Aeuo caducus, pronus in tumulum ſenex.*

Il. *Senum vigent conſilia, ſi languent manus,*

Am. *Manu tenentur ſceptra:*

Il. *Conſilio magis.*

Am. *Patria tueri imperia pietatis fuit.*

Il. *Sceptrum tuis praeripere pietatem vocas?*

Am. *Seruamus, haud praeripimus. Imperio hacten⁹*
Teneri nepotes impares, et nos pares
Virides per annos fuimus: at demum graui
Imbellis aetas ponderi, placido cupit
Mutare curas otio, et caelo datis
Geminis adultis lampadem imperii dare.
Tu, ni gemellis inuides regnum tuis:
Si quid furores Ilia horreſcis meos;
Mihi nepotes exhibe, natos tibi,
Reges labanti patriae.

Il. *Audite haec mei*
Audite nati: naufragis ſi quis manet
Poſt fata ſenſus: patria vos patruus vocat
In regna, longa ſcilicet vobis ſile
Quae rapta fratri ſeruat. Extincti Duces
Tractate auitùm frigida ſceptrum manu:
Fatalis vnda Tyberis, aut potiùs Stygis,
Vmbrae gemellae adeſte: Regalem notam
Induite: Latio iura ſubiecto date.
Imò ad recentem, vetere grauiorem, necem
Venite nati, matris ò nati vetus,
Nouumque vulnus! ſiue vos olim gemo
Verè peremptos, ſiue nunc falsò arguor
Occulere viuos. Regio quae raptos tenet?
Fortuna quae vos luſit? an lymphis adhuc
Erratis oſſa nuda? an incolumes aquis,
Regia latinas eſca pauiſtis feras?

Am. *Satis innocentem, et integram fraudis probat*
Per blanda, per ſeuera tam conſtans dolor.
Abſoluo matrem. Fauſtuli totum ſcelus.

Quid

Quid agis Amuli? fœminæ infidæ fidem
Habes? parenti? virgini inceſtæ? ſuis
Quæ grauida caſtam decipit furtis Deam,
Licet focis inuigilet æternis Dea?
Verſuta nos ne fallat, ingenio eſt opus.
Tandem fatebor, gaudium et matri dabo:
Vanos iocoſo fecimus luctus dolo.
Deſine doloris Ilia, et lacrymæ: tui
Viuunt gemelli.

Il. *Qua probas verum fide?*

Am. *Siluis latinis nuper adducti mihi*
Altore ab ipſo.

Il. *Vereor incertum genus.*

Am. *Nefas vereri. Regio vultu decor*
Matris refulget: bellicus maribus pater
Afflatus animis miſcet ex æquo decus.

Il. *Matrem reliquit animus, ad natos abit.*
Relicta iungat! redde me natis, mihi
Me redde: geſtit ruere in amplexus amor.

Am. *Iungêre, complectêre: ſed iuſſo priùs*
Qua fraude natos funeri abduxti, refer.

Il. *Te, te Deorum ſceptriger teſtor pater,*
Te fulminanti proxime armipotens patri,
Integritatis conſcium Numen meæ,
Gradiue teſtor: Regium imperium tuli
Raptos ſequuta lacrymis, nulla neci
Furata natos fraude.

Am. *Iuratis licet*
Periura Diuis perneges facinus: tamen
Non eſſe me, qui ſceptra, non iras regam,
Teſtabor hodie: donec arcanos dolos

Planè fatendi pertinax cedat pudor:
Sat longa dabitur lucis hodiernæ mora.
Ego dum remoto Fauſtulum rimor loco,
Seruate vinclis, ſaxeo et clauſam ſpecu.
Il. *Hæc Regna ſunt? ſic ſanguinis leges colis?*
Hæc ſera pietas? ſic in amplexum vocas?
Sic ſæue natos reddis? ò nunquam meis
Satiate pœnis, vincla pro natis refers?
Ergo gemellos arte ſeruatos mea
Prætendis, aſtu vt innocens perdar tuo?
Agè iam triumpha: fœminam vincis dolo.
O ter quaterq; proſpero fato ſemel
Defuncta ſoboles! veſtra per multas trahor
Illuſa mortes mater. At vinclis nouis
In quod reſeruor Ilia infelix malum?
Am. *In quod, ſceleſta, ſcelera te poſcunt tua.*

SCENA TERTIA.

Numitor, Remus, Senex, Milites.

QVicunq; puero parcit, et nimiùm pius
Squalore tenero tangitur: placidè ferus
Cæcam immerenti patriæ peſtem fouet.
O vita fallax! oris ò mendax honor!
O certa nunquam corde puerili fides!
Scelus hoc tremebat illitus fronti pudor,
Morumq; ſenium, et obuius letho vigor?
Decor ille vultus blandus eſt fraudis color.
Hic ille ſceleris inſolens, culpæ rudis,
Patriæ, iuuante patre, qui cladem mouet?
Hic fortis ille? hic indolis magnæ puer?
In

In ſcelera fortis ſcilicet, magnus dolis,
Ille, ille merito è funere ad vitam mihi
Tanto petitus ambitu, hoc facinus parat?
En ego, virorum ſomnium, ſtolidum caput,
En cui fauebam. Iam tibi grates ago
Rector Deorum, quòd piè ſurdus meas
Iuſſo Tyrannus funere excluſit preces:
Quòd puniendum manibus hunc ſtatuit meis.
Dabis nefande debitas pœnas, dabis:
Dabitque genitor fraudibus captus ſuis.

Rem. *Diluere poſſim cuncta, ſi facilis velis*
Audire cauſam Numitor.

Num. *Audiui diu,*
Pigetque: vocem reprime: ego credam tibi?
Fruſtra paras decipere deceptum ſemel.
Satis ego mendax ſcelera apud fratrem tua
Texi, innocentem ſæpe mentitus reum.

Rem. *At ede ſaltem, ni mihi pro me loqui*
Licet, recenti ſcelere quo videar nocens.

Num. *Etiam impudenti voce diſſimulas nefas?*
Etiam reclamas? Num tuo inſtructum dolo
Ornaſſe nobis Fauſtulum inſidias neges?

Rem. *Nego ciere captus abſentem queam,*
Fraudemue ſtruere?

Num. *Quid vafer nequeas? tuo*
Tentauit aditus callidè accitu pater.

Rem. *Teſtor paternum charius vita caput:*
Nunquam vocatus genitor, aut viſus mihi.

Num. *Vt iſte ſanctè deierat purus puer:*
Vt hot ſcelus palmare pudibundè tegit!
Tamen teneris. Ecquid affatus meos

In veſte petiit Fauſtulus ficta latens?
Rem. *Vallata fors vt milite et ferro domus*
Pro me pateret ſupplici.
Num. *In ſpeciem probè:*
Argueris aliud: fraude compoſita patrem
(Meus iſta Ductor) in meum mittis caput;
Quodq; execrandũ eſt, fama quod muſſat recẽs:
Cum pube fratrem ruſtica in patriam moues.
Rem. *Ego induiſſem dedecus tantum? ſcelus*
Tantum patraſſem; pectori vt ferrum tuo,
Et parricidas patriæ inferrem manus?
Haud vile tãti eſt, ſcelere vt hoc redimã ca-
Nec, licet agreſtes inter eductus feras, (put:
Feritatis hauſi patrio tantum ſolò,
Charæ vt ruina patriæ, vt magni Ducis
Quæſita turpè placeat exitio ſalus.
Te, patria, inter vincla, te, Numitor, colo;
Tegerem ſolutus capitis oppoſitu mei.
Num. *Poſt fœda ſerò ſcelera pietatem doces:*
Nunc morere: ſic mereris: ita fratrer iubet:
Mihi ſic videtur.
Rem. *Teſtor Albanos Deos*
Phrygemq; Iulum, maximum Imperii patrẽ,
Pietatis iſtam pignus anteſtor manum:
Sæua innocenti arbitria properantur Reo.
Tamen, ſupremas ſupplicis ni audis preces,
Veniam ad tribunal lege, qua Numitor iubes.
Num. *Iubeo, ſceleſtus lege qua cogi ſolet.*
Rem. *Qui nil timere didicit, haud cogi poteſt.*
Moriturus vnum imploro, quæ rapitur mihi
Vita, immerenti cadere donetur patri.

Vnius vna criminis pœna eſt ſatis.
Num. *Supplicia tanto nulla flagitio ſatis.*
Rem. *Me me obſecro: in me pœna geminetur patris.*
Num. *De patre frater viderit: mihi tu lues*
Pœnas ſeueras.
Rem. *Luere nec fugio: breue*
Solamen, æquum, facile, conceſſum omnibus,
Mœſti parentis vltimum amplexum precor:
Cernat labores filii extremos pater.
Num. *Moriturus etiam perfidos voluis dolos?*
Etiam parentem fraudibus poſcis tuis?
Inire ſceleris fœdus amplexu cupis,
Non alleuare funus. O mundi probrum!
O architectum fraudis! ò labem! ò luem!
Rem. *Succumbe virtus, ſceleris et nomen ſubi,*
Sed innocenter: durius letho, genus
Ne metue lethi: captus hoſtili dolo,
Regi cruento traditus, falſi nota
Sceleris inuſtus, vltimo affatu patris
Auulſus, indefletus, immiſerabilis,
Primo iuuentæ flore ſuccisus, Reme,
Tibi, mitis olim, morere Numitoris manu.
Agè iam trucida, Numitor, ac pueri latus
Violentus hauri, penitùs et capulum premens
Iugulo manũ committe: ne Numitor time:
Non imparatum vulneri pectus gero.
Agè parricidam patriæ, doctum dolos
Siluis paternis ſcilicet, macta, opprime.
Hunc ni cruorem fortiter charæ licet
Prodigere patriæ, fundere at ſaltem datur
In patria innocenter. Vt pulchrum tua

Sperare

Sperare, Numitor, vulnus haud poſſin manu,
Iam deſtinatum vile lictori caput:
Tamen beatus occido dum tu iubes.
Licuiſſet vtinam reddere hanc vilem tuæ
Animam ſaluti: quod queo, imperiis libens
En reddo: dura arbitria nil mortis moror:
I præ, cruentam quisquis ad mortem rapis.

Num. *Quid hoc? quis horror pectore inſerpit nouus?*
Attonita ſubito membra cur torpent gelu?
Cur ira languet? ora cur fletu lauit
Iniuſſa pietas? ſenſus heu patris redux
Miſeri ad querelam iuuenis, ad fortes ſonos
Rigidas refringit, iudice eiecto, minas.
Moriatur hoſtis: viuat egregius puer.
Viuere nocentem dedecet: fortem decet.
Heu rapida nunc huc ira, nunc illuc amor
Animum reſorbet: gemina ceu variam rapit
Ratem procella, bella cum venti gerunt.
Quid anime titubas? ira molleſcis malè:
Præuaricaris Numitor: haud iſti decent
Mores fidelem patriæ vltorem: procul
Recede pietas: impium eſt eſſe hic pium.
Mihi ergo precibus tendis inſidias? moues
Mihi blanda bella? ſupplicis noui dolos:
Leni querelæ machina noſtram vafer
Oppugnat iram: abripite, ne expugnet, ſtatim
Hoſtem doloſum: carceris cæci ſpecu
Seruate ſeptum. At prona cum verget dies:
Lictor ſecures expedi, cæſum feri.

Rem. *Valete Ciues, patria æternùm Vale.*

SCENA

SCENA QVARTA,

Lauſus cum ſocijs, Romulus itidem cum ſocijs.

SOcios in arma Romule excitos vides,
Tecum paratos vincere, aut tecum mori:
Rom. *Amica laudo pectora, et fortem manum.*
Vtrunq; ſqualor ſummus implorat Remi,
Patriſque: vtrunque veſtra promittit fides.
Quem non Tyranni rabidus irritet furor?
Quem non meorum miſera laniena excitet?
Mihi credite: etiam vincla, ſupplicium, neċ,
Nobis anhelat barbari rabies Ducis.
Furit Tyrannus ſemper, vt ſemper timet.
Lenti moremur ergo, dum pecudes velut
Ferox inultos funere ignauo occupet?
Quin agite, ſocii, turpe me probrum Duce
Arcete ferro ſtrenuè: fratris piè,
Patriſq; letho eripite damnatum caput:
Regerite merita funera: oppreſſam diu
Eximite patriam vindices turpi iugo:
Sæuum Tyrãnum opprimite, fodite, excindite.
Hunc non latebris regiæ abſtruſum domus,
Sed campo apricum libero ruris, moras
Peroſa cædis, proſpera hæc nobis dies
Exponit: hortos in ſuburbanos (modò
Vidi ipſe, ſocii) commodùm Princeps abit,
Noſtris malis ſecurus. Hic faxo haud putet
Rem ſibi parente cum ſene, aut capto Remo.
Hoc Numitor etiam ſentiat, faxo: niſi

Captiua

Captiua fratri protinus vincla eximat.
At vos laboris digna præclari manet
Gratia, ſodales. Nulla ſine vobis mihi
Quæretur vnquam gloria in rebus meis.
Promiſſa quòd ſi ſæpe reſponſis Deûm
Fundare tandem mœnia, et ſceptris dabit
Tandem potiri maximus Diuûm Pater:
In regna vos accipio præcipuos mea.
Sin aliquis autem nobiles auſus Deus
(Fors hæc refutet dicta) in aduerſum ferat:
Viuax emetur gloria occaſu bene.
Sed iam decet ſperare meliores Deos.

Lauſ. *Speramus, vbi te ſequimur.*
Rom. *Hàc ergo cohors*
Sequere, ac trucida.
Lauſ. *Cadat Amulius.*
Omnes. *Cadat.*

CHORVS.

Heu quò deuia! Romule
Præceps arma moues vltor Amulio?
Hùc ò prælia dirige:
Huc fratris reuocant ſumma pericula.
Hæc, hæc, ni celeras, dies
Formoſi ſpolium corporis auferet.
Et iam deſpicit æquora
Languens emerito ſidere Cynthius.
Ah ne Cynthius occidens
Inſontis pueri ſanguine ſordeat!
Ille heù ſanguineus rubor
Portendit pluuias quas tibi lacrymas?

Tu,

Tu, ne funera lugeas
Immatura Remi, Romule iam veni.

ACTVS QVINTVS,
Scena Prima.

Numitor, Lictores 12. cum faſcibus, Remus, Senex, Milites.

TAndem inſtruendis ſpatia tollentur dolis:
Moriere tandem: maximo tandem metu
Nos liberabis. Parce captiuis fugam
Tentare vinclis: dabimus hoc vltro tibi:
Captiua properè vincla cum vita exues.
Neu morte in ipſa fraudibus fallax tuis
Diffugia quæras: teſte me actutum cades.
I lictor, omen erige infælix necis,
Palum nefaſtum.
Lict. *Palus infixus ſolo eſt.*
Num. *Diffibulata chlamyde ſpolietur nocens.*
Age lege lictor, deliga ad palum manus:
Reſolue faſces: expedi virgas: feri.
Rem. *O Dura fata! num Remū extingui parū eſt?*
Cur indecoro funere extingui placet?
Heu quam pudet perire ſeruili nece!
Num. *At te nefande ſceleris admiſſi haud pudet.*
Quis huc citato fertur attonitus gradu?

Nuntius, Numitor, Remus, Senex, Lictores, Milites.

I, *profuge, latebras Numitor ignotas pete:*
Fuge ò ruentis Imperi auxilium vnicum:
Vltra labores Numitor Herculeos fuge,
Vltra labores tuta ſi tellus patet.
Num.*Neſcio quid ingens, maius et ſolito malum*
Præſagit animus: vereor iſtius dolos.
Nunt.*Imò receſſu Regii ſaltem laris*
Tenebriſq; penitùs intima abſtruſus domus,
Furare temet hoſtibus
Num. *Qui nam premunt*
Hoſtes? profare, prome quid portes noui.
Nunt. *Euerſa patria funditus: Regnum occidit:*
Iacet ipſe ſecto Amulius collo lacer.
Quid quæris vltra?
Num. *Miſerias miſeri ſuas*
Audire gaudent. Planiùs luctus meos
S*eriemque narra cladis. O Patria! ò lares!*
Nunt. *Albæ ſub altis arcibus cliuo leui*
Regalis hortus vere perpetuo rubet:
Hic lentus ergo Amulius parua manu
S*eptus ſuorum turbidæ dum ſe parum*
Aulæ forenſi ſubtrahit ſtrepitu: ſenis
Dum Fauſtuli ſecretus explorat dolos:
Ecce ære fulgens, ecce terriſonum intonans
Irrumpit improuiſa Paſtorum cohors.
Tum primus enſe Romulus rapto furens,

Libratus altè in vulnus, horriſonum fremens
Ingeminat ictum: et, fratribus fratres, ait,
I, rape Tyranne: i, filiis patrem eripe:
Macta innocentes. Reliqua fodientē adiuuat
Iurata pubes Romulum: haud plagis locus:
Fit vulnus ipſo in vulnere: auulſum caput
Præfigit haſtæ victor: ac tumuli loco
Sine nomine ingens truncus in tabo iacet.

Num. *Amoris ò Natura fraterni potens*
Quanto vel hoſtes vinculo fratres tenes?
Fratrem ego Tyrannum ſceptra prædatū mea
Diu dolebam ſoſpitem, amiſſum fleo.
O orbitatem lugubrem! Heu tantum nefas
Inulta pubes, Ductor ignauus tulit?

Nunt. *Tantum ò tuliſſet! maius admiſit ſcelus:*
Cum pube ſupplex accidit tota pedes
Victoris ante Ductor, et pacem petens
Pacis cruentam pignus implorat manum:
Suumq; Regem appellat, ac Regum genus.

Num. *Ima nunc dehiſce tellus, atq; furiarū agmina,*
Sibilantes aſperantia angue crinali comas,
Egere: orbis totus agè rebellet in tantū nefas
Nūc adeſte nigra mōſtra Tænari, mōſtra humida
Nūc adeſte Thetidis vltimæ: ignea vltoris Iouis
Tela nūc adeſte: patriæ hūc turbinē hāc furiā ſuæ
Hoc ouātē ſcelere raptū opprimite, preſſū extīguite,
Sancta parricida patriæ iura Naturæ ſacer
Opprimit: Natura *iuret omnis in ſacrū caput.*

Sen. *Deſine: querelis Numitor haud iſtis locus,*
Miniſue: recipe temet in tutum ocyùs,
Ne victor improuiſus incautum occupet.

Labor iſte mecum, vt protinus pereat nocens.
Num. *Conſilia trepidis ſequimur in rebus tua.*
Huc arma miles, arma confeſtim: latus
Vallate fidi: tu necem propera Senex.
Rem. *Mori haud dolet: ſed cæde quòd noſtra tua*
Creſcunt pericla, Numitor, hoc ſanè dolet.

SCENA TERTIA

Senex, Romulus cum Amulij capite haſtæ præfixo, Lauſus cum Regijs inſignibus haſtæ itidem præfixis, Remus, Lictores, Socij.

Sen. *Age lictor.*
Rom. *Ego te barbare.*
Lict. *Heu quæ me fuga?*
Sen. *Huc lictor.*
Rom. *Arma, huc arma. Proh factum malè!*
Impunè fugiunt.
Rem. *Romule extremis ades*
Optate rebus.
Rom. *Heu quid hoc monſtri, Reme?*
Ten' video turpi, frater, inuictas manus
Trunco reuinctum? vincula hæc liber, meos
Abiice pudores: dedecet fortem indolem
Seruile ſignum: iunge complexus diu
Frater cupitos: necte fraternum manu
Collum ſoluta.
Rem. *Vinculum ò charum mihi!*
Nodum ò beatum fratris amplexum mei!
Meritis pares, ò Romule, haud noſtræ eſt opis
Referre grates. Grator illuſtrem tibi

Frater

Frater, triumphum: dextera fuſum tua
Grator Tyrannum. Genitor hic vnus meos
Deſideratur inter amplexus.

Rom. *Breui*
Solutus aderit nuperis vinclis: gradum
Tardat ſenecta: me quoq; hic nutu manus
Vociſque rapidos inter armorum impetus
Certat morari, vt doceat affatu breui
Neſcio quid ingens, abditum: at pugnæ calor,
Tuique cura, frater, abripuit: tibi
In tempore adſum.

Rem. *Si qua te paulò mora*
Mihi reddidiſſet ſeriùs: vinclo manus,
Vita ſolutum corpus, ò frater, foret.

Rom. *Hoſtine tantum licuit inſontem in Reum?*
Irrumpe pubes limen: audacem ſenem
Eadem regeſtis vincla ſuppliciis doment.
Fuſus Tyrannus dextera vltrici iacet:
Pœnas ſecundas Numitor exciſus luat.

Rem. *Per ego ſolutas compedes, te per nouos*
Nexus amoris priſtini, frater, precor:
Ignoſce facilis Regio victor Seni!
Iuſta Tyranni-cæde ſæuitum ſatis.

Rom. *Vna Tyranni cæde tam dirum nequit*
Scelus expiari. Romulo ſi quid ſtudes,
Concede frater, eluam vt turpem notam,
Sanguine nocentum.

Rem. *Te comes pugnæ ſequar*
Caſus in omnes.

Rom. *Impetu vaſto cohors*
Aggredere, cæde, prorue, excinde hanc domũ.

M Mil.

Mil. *Abſiſtite hoſtes.*

Rom. *Occidant hoſtes priùs.*

Hìc militaris pugna in aditu primùm dabitur, tum intra ędes ipſas : vbi armorum ſtrepitus, cędentium fremitus, cadentium gemitus exaudietur.

SCENA QVARTA.

Præfectus, Milites, Numitor intus.

Res agitur intus magna: terribili ſono
Acuit furores illa ſanguineos tuba.
Heu ſera venio Fauſtuli iuſſu mora
Ferocis armis Romuli: irrumpam tamen.
E heu quid hoc eſt? palus infelix, necis
Omen nefaſtum, ſurgit in cælum: iacent
Faſces ſoluti in vulnera. O mœſtam diem!
Actum eſt: periſti, ſigna ni fallunt, Reme.
O ſpes inanes Fauſtuli, ò miſeras moras,
Monſtrante me, dũ recipis abſtruſum alueũ!
Heu quam receptus nunc opem cæſo ferat?

Num. *Accurre miles: opprimor: prohibe necem:*

int.proſc. *Crudelis itane Romule?*

Præf. *Heu quæ vox meas*
Aduolat ad aures? illa Numitorem ſonat
Querela: certè Numitor exciſus cadit
Ferro nepotis. Ibo prohibebo nefas.
Tu perge miles, perge: properato eſt opus:
Hu: Fauſtulum. Sed ecce captiuo pedem
Numitore profert Romulus: ſed quis comes?
Remus eſt: reuixi: Melior arridet Deus.

SCENA

SCENA QVINTA,

Numitor, Romulus, Remus, Præfectus, Senex, Lauſus, Socij, Milites.

QVò me cruente, barbare, immanis rapis?
Rom. *Quò tute, mitis nēpe, raptabas Remum.*
Num. *Te nil ſenectæ miſera canities, piis*
Veneranda, tangit?
Rom. *Tune pietatem mones?*
At non iuuenta fratris inflexit, neci
Deuota crudæ.
Num. *Fratre nec cæſo ſatis,*
Sceptriſque raptis nec nimis videor miſer?
Rom. *Crudelitati parua ſunt iſtæc tuæ,*
Et leuia pretia. Quicquid haud perdit, parū eſt.
Num. *Regia peregi iuſſa.*
Rom. *Qui culpæ fuit*
Comes Tyranno, iaceat et pœnæ comes:
Moriere nunc.
Num. *Si tanta te noſtri ſitis*
Vrit cruoris: præbeo en iugulum volens:
Ceruice prona vulnus expecto tuum.
Iuuat perire, qua perit frater, manu.
Rem. *Te per gemelli amoris, atque ortus precor*
Fœdera, gemelle Romule, hunc ſerua ſenem:
Miſerere miſeri.
Rom. *Ni tua flector prece,*
Ignoſce fratri, ignoſce. Miſereri velim
Equidem liceret: carceris diri pudor
Non niſi nocentis dilui tabo poteſt.

Rem. *Cur pœna mortem, ſponte properantem ſua,*
Iamq; imminentẽ ſenibus, approperet magis?
Rom. *In immerentes impius ſero cadit,*
Si feſſus annis, victus et ſenio cadat.
Præf. Si *quid paternum Fauſtuli imperium colis:*
Audi, quid ipſe protinus edici iubet.
Romule ferocem cæde Numitoris manum,
Dum venio, cohibe: me breuis referet mora.
Rom. Si *norit huius ſcelere præcipiti ſenis*
Ictu librato penè præreptum Remum:
Vel ipſe celeres imperet pœnas pater.
Num. *Te per miſerias, Romule, obteſtor meas*
Breuem moram largire: viciſti: potes
Hanc victor indulgere morituro: ſuum
Videt Alba Regem ſupplicem et pronum tibi.
Supplicia nec iam deprecor: merui, expeto.
Miſeræ leuamen vnicum mortis precor:
Natam parenti redde, crudeli diu
Quæ diſtinetur carcere: amplexu vltimo
Natæ, et ſupremis oſculis auidus dolor
Saturetur.
Rom. *Et ſi immane commiſſum tuis*
Precibus repugnat: æqua quòd poſcis tamen,
Flexere facilem ſupplicis iuſtæ preces:
Tenebricoſi carceris nocte obrutam
Deducat aliquis filiam cupido patri.
Rem. *Curam repoſcit nobilis Virgo meam:*
Illæſa, me ductore, ſiſtetur patri.
Præf. *Spes aliqua rebus monſtrat afflictis viam:*
Squalor decorus Iliæ, argutæ preces,
Teneræq; lacrymæ lene tormentum aſpero
Iuueni

Iuueni admouebunt: Romulus frangēt minas.
Num. *Moriturus illud voce tam extrema precor,*
Ne pœna patris filiam inſontem trahat.
Rom. *Non impotenter adeò crudeſcit dolor,*
Vt innocentes impiè ad pœnam petat.
Ego et pudorem filiæ, et vitam tegam:
Ego fratris, et parentis implebo locum.
Sed ecce trepida prodit, et luctu grauis:
Explēre lacrymis: flendo mollitur dolor.

SCENA SEXTA

Ilia, Remus, Numitor, Romulus, cum cæteris.

QVò me tenebris ſedis infauſtæ abſtrahit?
Quis malè Tyrannus Iliæ inuiſam diem
Oſtendit iterum? carceris lenta nece
Peius repertum? cladibus nunquid meis
Iterata per ludibria aſtutè ferus
Amulius præludit? ò quiſquis rapis,
In quod malum tranſcribis?
Rem. *Huc Numitor vocat.*
Il. *Vbi charus, vbinam perdita optatus diu*
Genitor moratur?
Num. *Ilia huc oculos: tuus*
Hìc te moratur genitor: huc præceps tulit
Fortuna Regem.
Il. *Hunc ergo te aſpicio, pater?*
O fata ſic nos iungitis? talem mihi
Non ſuſtuliſtis. Miſera non potui patrem
Niſi ſic videre? ò ſemper infelix, patri
Cum rapior, et cum reddor! Heu quæ regias

Indigna cauſa mancipat vinclis manus?
Quis facinus auſus?
Num. *Quære ne noſtra in domo*
Cauſas malorum gnata: præcipites agi
Gentile nobis, Regiis ex quo arcibus
Te, meque truſit ipſe cognatus furor:
Et ſpes gemellas imperi rapidis dedit
Portare lymphis.
Il. *Etiam inexpletus meis,*
Pœnas Tyrannus vltimas vrget patris?
Num. *Pœnas Tyrannus quærere extremas nequit,*
Quas ipſe ſoluit: quod poteſt, noſtras cadens
Trahit ruinas, functus atque etiam nocet.
Il. *Heu quæ Tyranno fata mactato malè*
Iunxere Regem?
Num. *Quæ ſolent Reges, mala.*
Geminos agreſtis puberes matris vides,
Ad Regna natos: alterum (vt noſtras leuis
Dea per ruinas ſterneret regnis viam)
Tumultuantem ruſtico bello, meis
Tradit Tyrannus faſcibus: iamque vltima
Iuueni parabam iuſſus: arreptis ruens
Cum geminus armis alter, et laceri calens
Cruore Amuli, vindicat fratrem, et neci
Me iam paratæ ſufficit. Sic, *(heu pudor!)*
Ego ille quondam ſceptriger, turpis fero
Ludibria mortis: famula ſic olim manus
De me triumphat.
Il. *Me priùs Iuuenes precor,*
Me (ſi qua pietas) figite: in me arma, et manus,
In me furores vertite: ego tela omnia

Vna

Vna imbuam, vna ſanguinem explebo: patrẽ
Plectetis in me: pars ego potior patris.
Meliora ſic vos fata ſortitos parens
Diu ſuperſtes veſtra lætetur, meos
Ego dum gemellos mater infelix gemo.

Rom. *Vitam paciſci capite pro patrio pium eſt,*
Nataque dignum regia: expleſti tuas
Generoſa partes funeris voto: meæ
Deſiderantur, frater vt fratrem piè
Sæuus per ipſas hoſtium mortes tegam.

Il. *Si vis piè ſæuire: ſeruato patre,*
Natam apprecantem per me.

Rom. *Qui læſit, cadat.*

Il. *O nate ſiluas inter atque inter feras,*
Siluis feriſque durior, Regum potes
Lacrymas preceſq; ludere? at quidnã precor?
Vt expleare ſanguine: id verò cupis.
Et hic placere poſſit vltori cruor:
Regalis eſt: hunc impiè haurires minùs.
Nec victor abeas: me vel inuitus necas;
Dolore perimes ſæue, quam ferro negas.

Num. *Me nata votis citiùs exanimas tuis,*
Quàm vulnere hoſtis: parce tam dira prece,
Non me voluptas tanta viuendi tenet,
Vt vita placeat, morte quam redimam tua.

Il. *Famulo relinquar regius ſanguis iuge?*

Num. *Dediſce dominam nata: captiuam gere:*
Aude ſubire nobili collo iugum:
Atauique Reges, generis AEnas ſator,
Et quondã amãs Gradiuus ex animo excidãt.
Fortuna præſens ſpiritus magnos vetat.

Fortuna miſeros quod iubet, pulchrum puta.

Rom. *Fortuna dignos tollit, indignos premit.*
Sed ora cohibe: non vacat vano diem
Conterere queſtu: ſanguinem debes mihi.

Num. *Et hoc precor, largire perituro patri:*
Vtriq; ſummum ſolue in amplexum manus,
Mors quos reuellet.

Rom. *Detur hoc hoſti vltimum:*
Exuite vinclis membra tantiſper, pius
Officia dum ſuprema perſoluit dolor.

Num. *O dulce pignus redditum ſerò, citò*
Raptum parenti! ò vana ſpes lapſæ domus!
Prima ò voluptas Ilia, extremus dolor!
Petita longo tempore emoriens pater
Complector ora? tot per annorum moras
Incluſam, egentem, in Regia famulam tua
Te carcer habuit: carcer inuito meus
Mihi te diremit: iungimur tandem malis:
Reges catena iungit. Aſpectus tui
Mors patria pretium triſte, ſed patri placet:
Dulce eſt parenti, nata, te viſa mori.
At tu ſuperſtes vltima in luctus noues,
Hæres paternæ ſortis, haud patrio potens
Sceptro latinas inter incedes nurus
Regina Latii: pollice at iuſſo trahes
Herile penſum. Non tuis felix parens
Auita Geminis regna gaudebis regi:
Sed orba Reges, captaq; alienos coles.
Quod ego relinquam, nata, ſolamen malis?
Rapto relictum quicquid è regno mihi eſt,
Regalis hæres oſcula et lacrymas cape.

Donare

Donare largè poſſumus miſeri has opes.
Il. *Men' genitor ergo linquis? eriperis mihi*
Reddende nunquam? ô filiæ fatum graue!
Non poſſe ab hoſte vulnus, vt patrem ſequar,
Tot precibus implorare, Tu ſaltem meas
Miſerate curas, vulnerum et lethi potens,
Succurre Mauors: te per antiquos precor
Deſerta amores, per maritalem fidem,
Per, ſi quod inter fulget ærumnas, decus
Formæ prioris, Virgo cum placui tibi:
Miſerere captæ et ſupplicis. Nec iam domus
Columen cadentis perditum, natos peto.
Mors ſola votum: Mars pias audi preces:
Patet ecce grauidum pectus ærumnis: feri,
Nata vt parentem, liberos mater ſequar.
Heu miſera ſurdos inuoco fruſtra Deos!
Fuimus beatæ, tempus atq; illud fuit,
Cum poſthabebas ſidera, et ſuperos mihi:
Iam diſplicemus: vota iam ſordent mea:
Crudelis etiam vulnus oranti negas.
Agè vita, ſubita quando per latum nequis
Effugere vulnus: fluida guttatim vberes
In lacrymas tabeſce. Nunc partem meæ
Hanc ſume vitæ, lacrymas primas, pater.
Hæc oſcula etiam ſume, quæ functus meis
Reddas Gemellis, orba quæ raptis parens
Libare nequii: plura mox referam cadens.
Sed ante noſtro vita quàm fugiens tua
Legatur ore, membra complecti vltima
Concede rurſus. Sic decet iunctos mori.
Iam cædite hoſtes: petere qui patrem volet,
Petat

Petat ante natam.
Rom. *Auellite inuitam: Reo*
Deripite veſtes, agite vincite improbum.
Num. *Vale Ilia.*
Il. *Pater venio: iam cado: proh dolor!*

SCENA SEPTIMA.

Fauſtulus, Ilia, Romulus, cum cæteris.

D*Eſiſte: parce Romule: heu quantũ hoc nefas,*
Quod penè vidi! corpus exanimum alleua:
Attolle vultus Ilia ad fauſtam diem.
Optatus ecce portus ærumnis adeſt.
Il. *Quis me dolori reddit? An viuis pater?*
Iam doleo leuiùs.
Rom. *Agè quod in cæde hac nefas?*
Fauſt. *Me me priùs confodito: quem ferro petis?*
Quem perimis, heu quem Romule?
Rom. *Hoſtem ſcilicet*
Sæuum, eruentum, barbarũ, immanẽ, efferũ.
Fauſt. *Heu quanta nox erroris ignarum premit!*
Rom. *Ne falle quæſo, ne pio iuſtos dolo*
Genitor dolores lude.
Fauſt. *Genitorem malè,*
Iam veriùs me Romule altorem voces.
Rom *Patris heu recuſas nomen, iratus pater?*
En parco: vinclo exuite: ne patris nega
Iam dulce nomen.
Fauſt. *Nomen hoc potiùs negant*
Alio fluentes fonte natales tui.

Rom. *Non ergo verus, Fauſtule, es genitor mihi Remoq;?*
Fauſt. *Maior homine vos genuit Pater.*
Rem. *Ain? quis ergo Cælitum?*
Fauſt. *Belli Deus,*
Deus ipſe Mauors.
Num. *Nam quid accipio nouum?*
Il. *Inuideo matri.*
Rom. *Decora vix credo mea.*
Laurentia, ede quæſo, num vera eſt parens?
Fauſt. *Alimenta lactis illa, non vitam dedit.*
Rom. *Quæ mater ergo?*
Fauſt. *Digna belligero Deo,*
Vobiſq; digna: regiæ proles domus,
Veſtæ Sacerdos regia, æternæ vigil
Flammæ miniſtra.
Il. *Sana ſi vigilo, arguunt*
Hæc me parentem ſigna: ſed nati iacent.
Rem. *Cur virgo legitur regia æternis focis?*
Fauſt. *Regnis Tyrannus illius prolem ſuis*
Vatum Deûmq; voce fatalem ſciens,
Spem prolis adimit, virginem templis dicat.
Num. *Arcana Regni vt callet hic paſtor probè.*
Rem. *Huc aliquis illam ſiſtat ex aditis Deæ.*
Fauſt. *Per templa fruſtra quæris heu matrē, Reme:*
Iuſſu Tyranni carcer eſt matris domus.
Rem. *Vbi vbi Tyrannus iſte? mihi pœnas dabit.*
Rom. *Mihiq; dabit: vtrunq; par ſtimulat dolor.*
Fauſt. *Lætare vterq; iam dedit.*
Rom. *Quis hoc decus*
Præripuit vltor?

Fauſt.

Fauſt. *Nemo præripuit tibi:*
Tu Romule vltor matris, et fratris pius.
Rom. *Amuliusne incluſit?*
Fauſt. *Incluſit ferus!*
Rom. *O me beatum! nunc meas laudo manus:*
Nunc Romulus ſum, cæde lucratus duos
Vna triumphos, vltus et geminum ſcelus.
Rem. *Felicitati gratulor, frater, tuæ:*
Debeo et amori plurimum. At natam pater
Leſiſſe potuit?
Fauſt. *Falleris: ſæuo, Reme,*
Non è parente veſtra generatur parens.
Rem. *Quis ergo genitor Iliæ?*
Fauſt. *Haud longè hinc abeſt:*
Videtis ipſi. Genitor hic matris, neci
Quem deſtinaſtis: Ilia eſt vobis parens.
Il. *O ſpes parentum credula, impatiens amor!*
Satiſne dixit?
Num. *Proſperis facilem fidem*
Fortuna noſtra prohibet.
Rom. *O facinus meum!*
Si vera narras. Auſus ego tantum nefas?
Auo ego cruentas ſæuus inieci manus?
Suum ego parenti ſæuus extorſi patrem?
Fauſt. *Romule querelis parce, dum ſuperi fauent:*
Erroris iſtuc, quicquid eſt, ſolùm eſt nefas.
Nemo eſt nocens, quicunque fit caſu nocens.
Rem. *Quid hoc videtur, frater? vt video ſatis*
Auum et parentem indicia Regalem probant.
Rom. *Indicia rident prima: ne fallant tamen,*
Priùs ex vtroque pauca ſcitari lubet.

Effare

Effare Numitor, eſt nepos aliquis tibi?
Num. *Eheu fuere ex Ilia, et belli Deo.*
Rom. *Tulit quis illos exitus?*
Num. *Fratris furor,*
Qui ſceptra Regi, filiam patri: abſtulit
Vitam nepoti.
Rom. *Genere quo lethi iacent?*
Il. *Spes vnde nulla paruulis ſuperet fugæ.*
Vix dum gemellos martium infantes genus,
Queis multus ore, multus atque animo pater
Vigebat, auras læta ſub lucis dedi:
Cum fata trepidum triſtia horrificant graui
Monitu Tyrannum, et affore id tēpus canūt,
Quo reſtitutis vltor imperiis auo
Amulium gemellus excindat nepos.
Ergo ille cæco amore regnandi furens,
Vt parricida viuat, vt prædo imperet,
Mergi recentes amne Tyberino iubet.
Quis tum mihi, quis perditæ ſenſus fuit?
Cùm victa mater alueo incluſos darem,
Miſeræ notaui lugubre indicium necis.
Quòd ſi gemellos fata voluiſſent meos
Superare, nec maturior lethi mihi
Vis abſtuliſſet; hoſtium eximerent manu:
In ſceptra me reponerent fortes mea.
Fauſt. *Felicitati cur tuæ indubitas adhuc?*
Agè iam gemellos Ilia agnoſce hic tuos.
An non auitum fulgurant oculi? nitent
Gentile vultus? patrium toti micant?
Il. *Quis incitati fluminis furiis datos*
Eripere potuit?

Fauſt,

Fauſt. *Diuus hoc potuit pater,*
Fortuna iuuenum potuit. Hibernis tumens
Spumabat vndis Fluuius, et notas ſuper
Ripas abundans, lenibus ſtagnis piger
Latè premebat lubrica illuuie ſolum.
Stagnantis ergo gurgitis geminus vado
Expoſitus Infans: Ductor expoſuit: comes,
Ac teſtis aderam.

Præf. *Verus es teſtis, ſenex.*

Fauſt. *Vndis receſſum iuſſerat Tybris ſuis:*
Siluis opacis alueus fauſto Deo
Appulſus hæſit.

Num. *Mira commemoras Senex.*

Fauſt. *Maiora referam, quæq; ſidereum probent*
Genus eſſe geminos puberes. Illis vagus
Siluis agebam fortè cornigeros greges:
Vidi ipſe, vidi Martis hederoſo ſpecu
Fœtam papillis lacte diſtentis lupam
Procũbere: et (mirere quod Numitor magis)
Nepotulos alludere vberibus tuos,
Labello hiante pendulos. Magno ſatos
Mauorte ſcires: abfuit pueris timor.
At placida tereti, vera ceu mater foret,
Ceruice flexa mulcet alternos fera,
Fingitq; lingua, et nobiles partus fouet.

Rem. *Quæ, frater, hodie audimus?*

Rom. *Et fauſta, et noua.*

Num. *Obe qua ferocis matris vberibus rapis?*

Fauſt. *Monſtro repentè trepidus, ac dubius diu,*
Vix poſſe fieri, cerno quæ coram, reor:
Oculos inertes vrget attonitus ſtupor.

Accedo

Accedo tandem propiùs, et magno feram
Clamore pello, ſtipite et rapto minax:
Nil aſperata vocis, aut dextræ minis,
Pio recedit mitis officio fera.
Lætus ego prædæ, regiam agreſti dedi
Progeniem alendam coniugi: et ſaui Ducis
Furatus enſi, et ſplendide mendax diu,
Hos educaui vt filios, et pro meis
Habitos amaui ſemper, et dixi meos:
Ipſiq; patrem errore me grato ſuum
Dixere ſemper.

Il. *Ecquid indicio probas*
Hæc paſtor aliquo?

Fauſt. *Commodùm quæris: dabo,*
Quo ferret ipſa certius nullum fides.
Hunc intuere. An alueum recolis memor,
Flebile feretrum prolis expoſitæ? tua
An exaratas dextera noſcis notas?

Il. *Satis ò ſatis. Nil aliud. O tandem mihi*
Reduces ab ipſa morte, prolapſi Imperi
Rediuiua ſpes, ò dulce præſidium et decus,
Chari gemelli, redditi tandem, meo
Pendete collo. Quem tamen teneam priùs?
In vtrunq; dubia ducor affectu pari.
Quidni ſimul complectar, inuentos ſimul?

Rom. *O chara genitrix!*

Rem. *O parens!*

Il *Vita mihi,*
O chariores filii! ò columen domus!

Num. *Afferte famuli purpura, atq; auro illitas*
Veſtes: amictus iſte non Reges decet.

Rem.

Rem. *O magne Genitor! ò dies! felix dies!*
Quam clara fulges, dum genus monſtras meũ!
Vincla ò beata, quæ meo iungunt Auo!
Num. *Beatior vos iungit amplexus mihi.*
Rom. *Ego quid profabor, ò Frater? magnũ nequit*
Se promere ore gaudium: ex oculis magis
Dulci liqueſcit lacryma, et blandè fluit.
Num. *Fluit, fluit molliſſima è noſtris quoq;*
Oculis voluptas, Romule. Hoc nepe, hoc mihi
Vinclum indicabat ſanguinis ſenſus recens
Pietatis, hoc et lacrymæ, hoc gemitus, Reme,
Cum te iuberer perdere.
Il. *O tandem meas*
Miſerate lacrymas, munere incolumes tuo,
Gradiue, natos cerno: quo cultu ſatis,
Qua victima reſpondeam? O flauos agens
Pater liquores Tybri, fluuiorum decus,
Tibi quæ gemellis digna ſeruatis memor
Referre poſſim pretia? quas grates tibi
Altrix latini ſanguinis, mitis lupa?
Tibi quas et altor, alter et genitor, Senex?
Quas denſa vobis nemora, quas vobis agam
Saltus profundi, qui mihi veſtris diu
Texiſtis vmbris, barbara ereptos manu,
Hos innocentes?
Rom. *Innocens vtinam forem!*
Parcite furenti, parcite: iratus calor
Peccauit in vos fateor, in fratrem pius.
Num. *Mittantur iſta Romule: ego ſæuus prior*
Sæuire docui. At crimen erroris fuit:
Fuitq; felix error: hic natam patri,
Natos

Natos parenti reddit: hic vobis auum,
Mihi nepotes iungit.

Rom. *Hic quicquid tamen*
Peccauit error, nunc amor penſet meus:
Meritis rependat præmium dignum tuis.
Tibi quæ nepotes, reddat hæc ſceptrum dies.
Inſigne Regni regiæ fronti inaue:
Grauis ac Tyranni patriam exutam iugo,
Tuosq; Geminos facilis et felix rege.

Num. *Vos regna, iuuenes, ſceptra vos potiùs decẽt:*
Squalor ſenilis regiam capitis notam
Recuſat: hæc imbellis, atq; æuo tremens
Illuſtre ſceptri pondus haud patitur manus.
Vos imperate: regna priuatæ togæ
Sat ego beatus occupem, dum uos, meus
Sanguis, latino iura dicatis foro.

Rem. *Quid influentis dona fortunæ fugis?*

Num. *Non fugio: veſtrum quicquid eſt, duco meũ.*

Rem. *Tuos potiri gloria ingenti vetas?*

Num. *Deferre veſtrũ, abnuere ſed noſtrũ eſt decus.*

Rem. *Hoc nos beare gaudii cumulo abnuis?*

Num. *Concedite, oro, gaudium extremum hoc mihi,*
Vt ante videam fata regnantes mea.

Rom. *Regnare renuo, ni tuum regnum accipis.*

Num. *Accipio: vos auroq; gemmiſq; aſperos*
Induite cultus: Ilia ornatus cape
Me, teq; dignos: regna tractentur ſimul.

Rom. *Nunc nunc beatè eſt: ſumma votorũ attigi:*
Nunc magne grates genitor, ò Mauors, ago:
Maiora voto gaudia indulges meo.

Num. *At æqua tantum gratia officium manet,*

Chari nepotes. Vos meum ſceptrum mihi,
Imperia vobis ipſe decreui noua.
Agite, imperate, debitum imperiis genus:
Et bellicoſæ paribus auſpiciis polo
Educite Vrbis mœnia: imperio pari
Frænate gentes. Ille ponendis placet
Mihi præter omnes mœnibus fauſtis ager,
Quem latè amœnum, et colle ſepteno arduum,
Per flore ripas vſque gemmantes fluens,
Flauentis vndæ lubrico Hetruſcus Tybris
Opulentat auro, et opibus irriguis beat:
Aluere quæ vos hoſpita infantes, colant
Nunc rura Reges. Dabimus è noſtris opes,
Dabit Alba Ciues, ciuium numero potens:
Vim prouidam ſeligite, patritios ſenes,
Impauida iuuenes corda ſeligite, vt lubet:
Populum volentem ducite, et mores viris,
Muroſque vobis ponite, et dignos auo,
Et patre dignos: facibus Argiuis iacens
Nunc Troia tandem pulchrior ſurgat, ſuis
Renata flammis, collibus ſeptem caput
Regale tollens.

Rom. *Munus accipimus, Pater,*
Sacra Deorum voce promiſſum priùs:
Nam Regna et Vrbem ſæpe promiſit Deus.

Num. *Agnoſco veſtram, agnoſco fortunã: indoles*
Nil vſitatum veſtra, nil Diuûm pater
Vulgare pollicetur: vt lætus reor,
Optoque. Si quid augurant veri Senes:
Condetis Vrbem, quæ triumphando vndique
Fatalis Orbi regium victrix pedem

Vtroq;

Vtroque por.at littore extremi maris:
Regnumque terris terminet, ſamam polo.
Rom. *Felicitatis omen affirmet Deus.*
Rem. *At tu recentis cauſa lætitiæ, Senex,*
Gratum parentis inſtar, et vindex Ducum,
Nobis colere ſemper vt Genitor: tibi
Regia profundet noſtra regales opes.
Fauſt. *Opes meæ vos eſtis, ò Diuûm genus,*
Regumq; iuuenes: vos meum, iuuenes, decus.
Præf. *Per decora, iuuenes, veſtra, per fortem indolẽ,*
Per et parentis Numen armipotens Dei,
Per gaudia hæc ignoſcite antiquum, precor,
Scelus: rependam ſtrenua crimen fide,
Et militabit ſemper hic vobis chalybs.
Rom. *Exurge Ductor: parcimus: pœnæ ſatis,*
Qui iuſſit olim facinus indignum, dedit.
Sen. *Et ipſe ſupplex ſupplices inter, puer*
Magnanime, veniam crimini exoro meo,
Felicitati quod tuæ, et fratris bene
Vertiſſe grator.
Rem. *Parce iam Senior metu:*
Sæuire neſcit ſupplici et faſſo Remus.
Lauſ. *Et nos, latinis quos diu ſiluis amor*
Primæuus aluit, nobiles fratres, ſimul,
Par veteri amori, parque fortunæ nouæ
Superefſluentis gaudii ſenſus ciet:
Charos ſodales ante, iam colimus Duces.
Rom. *O iuncti amica, puberes fidi, face:*
Sodaliumque, Lauſe, præcipuum caput,
Mihi verus olim proſperi interpres ſacri:
Fortuna non mutabit ingenium et fidem.

Chor. *Quàm læta, quam miranda, quā video noua!*
Salue latinis reddite Imperiis, Pater:
Proliſq; ſalue compos amiſſæ, parens:
Salue o gemellum nominis latii iubar.
Rem. *Adeſte Ciues, vndiq; amplexus date.*
Rom. *Adeſte Ciues, iungite ac dextras pias.*
Chor. *O expetitos maximi amplexus Ducis!*
O dulce fidei pignus, inuictam manum!
Num. *Stellantis ò ſerenæ Regnator plagæ,*
Qui regna firmas, prole ſi tanta meæ
Nituntur arces: arcibus nunquam meis,
Regniſue metuam: ſceptra coniurent licet,
Licet vndiq; inuehatur hoſtilis furor.
Nunc auſpicari gaudia è cælo decet:
Nunc vos ſalutis munere acceptæ Deûm!
Memores, paternum puberes mecum mei
Numen Gradiui colite votiua prece:
Numen Gradiui nata muneribus cole:
Araſq; diues imbuat ſacras honor.
Dum nos adimus ſupplici Numen prece,
Felicitati carmen hodiernæ ſonet.
Il. *Felicitati carmen hoc reſonet meæ:*
Pacem redonat Ilia belli Deus.

CHORVS

Rara eſt fratrum gratia: fratres
Sed rara beat. Quos parit vmbris
Ilia et vndis, reddit auitis
Gratia regnis.
O Luna clari ſanguinis altrix,
Qualia ſurgent è lacte tuo
Mœnia, nutris dum fraternos
Mitis amores!
Tuq; ſolutis Ilia vinclis,
Ilia natis læta repertis,
Incipe felix bona manſuro
Gaudia riſu.
Tuq; receptos inter honores,
Summo Numitor limine vitæ,
Incipe felix viuida claræ
Sæcula famæ.
Lucis at huius memor æternùm
Cultuq; pio, cantuq; pio
Martemq; colet, Martiſq; colet
Alba gemellos.

CVm Lector ſimul & actor partium omnium, ſiue Roſcius eſſe de iiſdem: Valentinus Mangionius, & Petrus Malaſpina concordiſſimo plauſu acclamarunt, Viuat, qui felici ac læto euentu tragœdiam clauſit: Viuat Ferrarius, qui ſolutiles tam fabrè compedes Remo fabricauit, vt in regiam illi coronam tranſierint. Elegans nodoſæ fabulę textum me quoque, inquit Mangionius, cum Remo Captiuum fecit: donec impeditiſſimum nodum Magno Macedone ſolertior non violento ferro, Ferrari, ſed fauſto exitu explicuiſti. Sed illud in primis placuit, quòd opus tibi non fuit ſumptuoſis à machinis emendicare mirabilem populo voluptatem, neque (vt aiunt) ad Deos confugere, tragicum vt nexum expedires. Meos verò, ait Petrus Malaſpina, non Petri, ſed petrę duriſſimos oculos miſerabilis planèq; tragica Remi captiuitas vberes emolliuit in lacrymas: & è pumice aquam elicuit. Tum vtriq; ſic ego. Humanitatis hic veſtræ plauſus caducum tenuitatis conſcientia erigit ac ſuffulcit animum meum, vt huic gemellam, ſublimioris tamen (vt ſpero) cothurni, tragœdiam conſcribam de Romulo Fundatore, qui fraterna Remi cæde Romæ incunabula purpurauit. Commendarunt illi concepti operis molitionem: ſtimuliſque hortando relictis, abierunt.

RO-

ROMVLVS FVNDATOR TRAGOEDIA.

COLLOCVTIO X.

COnſederam feriato quodam Bacchanalium die in proximi Seminarij Romani theatro frequentiſsimo, Leonis philoſophi, qui Byzantij vndecimus imperauit, tragœdiam ſpectaturus: quam Ioannis Baptiſtæ Giattini, ex ordine noſtro Sacerdotis, eleganti compoſitam artificio eius conuictus lectiſſimi iuuenes acturi mox erant. Mihi aſſidebant noſtra itidem è familia Leo Sanctius, præ multifaria doctrina, ingenijq; amœnitatib' quouis præconio maior: & Ioannes Baptiſta Andrianus, erudita facundia præſtabilis. Interea loci, dum vario ſermone moram ſpectaculi fallimus, fortè incidimus in Tragœdię mentionem: &, opportuniùs te quidem nullus hodie auditor interſit, Andriane, inquit Sanctius: quippe qui, dũ apud Rhetores tuos de Tragœdia pręcipis, tragœdorum choragũ agis. At ego te, ſubiecit Andrianus, fabulę huius præcipuum eſſe ſpectatorem & arbitrum æquiùs cenſeo: qui, quòd Romani Collegij ſtudijs præes, noſtrarum Apollo Muſarum es. Quin etiã compluribus, quas elaboraſti, tragœdijs non mo-

dò ſcenis agenda, ſed etiam ſcholis docenda ſuppeditas. Tum ego, vtinam Philippi, quondam ceſi Cæſares, tuoq; Sancti, carmine tragico, innocenter magico, in theatralem plauſum rediuiui, ſed hactenus muti, geſtum aliquando eloquentem in ſcena faciant. Condiſcemus profectò, qua ratione dignas cothurno lacrymas eliciamus. Quin imò, reſpondit Sanctius, tuum, Ferrari, Remum captiuum, & Romulum fundatorem, gemellas videlicet Gemellorũ tragœdias, iamdiu expectamus, vt eruditè lacrymemur. Ad hæc ego, Romulus Remuſq; meus ideo potiſſimùm lacrymabiles, quia vertigine laborant: nimirum non in vltimo ſolùm (vt aiunt) actu, ſed in ſingulis exitu pluſquam tragico, ineleganter miſeri, corruũt. Quare vertiginoſis præcipitem è scena caſum humili latebra præcaueo. Facetus de more tu quidem, ait Sanctius, è tragœdijs comœdias facis. Sed quàm velim apud te alterutram è gemellis eſſe, vt aliquid legeres, vnde facetam iſtam modeſtiam tuam tibi exprobraremus. Tum ego, peropportunè cadit, vt apud me ſit Romulus fundator: quem, ſi copia colloquendi defuiſſet, ſilentio alloqui, & caſtigatiorem hiſtrionem facere decreueram. Sed iam, quando per vos licet, ecce in scenam producitur: actor an reus, veſtrum eſto iudicium, quos cultiſſimæ ſapiẽtiæ Duumuiros magnum mihi theatrũ duco. Agè incipe, ait Andrianus. Nos enim non animo minùs, quàm auribus, tibi legenti operam damus. Sed priùs comicas in tragœdia prologi partes agẽs, argumentum breuiter præloquere. Hìc ego. Ve-

ſtris fauete linguis, dum vobis obſtrepit mea.
Romulus ac Remus, gemini Martis atq; Iliæ Filij, eo in loco, vbi expoſiti educatiq; fuerant, nouam iam vrbem condiderant. Sed interuēnit proſperis initijs auitum atq; hæreditarium malũ, quo Amulius ac Numitor laborauerant, Regni cupido. Quare vterq; ad Numitorem auum prouocat. Is Deorum iudicio, diuiniſq; auſpiciorum ſortibus rem permittendã ait, cuius eſſet nomen nouæ vrbi dare, cuius conditam imperio regere. Igitur magnam Palen ritè venerati, cuius feſto die fundata vrbs erat: Palatinum Romulus, Remus Auentinum ad inaugurandum templa capiunt. Adhibiti cuſtodes vtrinq; qui non ſinerent aliud pronuntiari auſpicium, quàm quod apparuiſſet. Priori Remo viſi ſex vultures: iam nuntiato augurio, cũ duplex numerus Romulo ſe oſtendiſſet: vtrunq; Regem ſua multitudo cõſalutauerat. Tempore illi præcepto, & hi numero auium regnum trahebant. Inde cùm altercatione congreſſi, ad cædem vertuntur. In turba ictus Remus cecidit. Sic inter cæteros Liuius lib. primo, ſic Dionyſius Halicarnaſſeus.

Perſonæ verò huius fabulæ ſunt.

Iuno.	Tarpeius Romuli aſſecla
Amulij vmbra.	Numitor. (ſectus
Romulus.	Numitoris domus Præ-
Remus.	Ilia.
Fauſtulus.	Laurentia. (Albæ.
Pliſtinus.	Legati Hetruriæ, Sabinæ,
Hoſtilius Remi,	Sacerdos,

Augu-

Augures Hetruſci duo. | Chorus ciuium Albanorum ac Troianorũ.
Mars.

Fabula Romæ datur.

In hac Iuno protaſim exorditur. Nam feſto Paliliorum die, quo Romulus ac Remus, recentis vrbis, iam ſatis affectæ, necdũ tamen perfectæ fundatores, decreturi erant, Romamne Remamne vocarent, ipſa Iuno curulium volatu pauonum inuecta, & in aëre ſublimis, quòd eandem vrbem ſuæ in Carthaginis exitium aſſurgere proſpicit, in furias ignemq; ruit: & quãdo funditus diruere per obſtantia fata non licet, alterius fundatoris fraterna cæde illius natales funeſtare ſtatuit. Sed iam ipſam Iunonem, quæ tota in fermento furoris eſt, audite.

Scena Prima.

Iuno.

D*Iuûm imperatrix: nomen heu curis meis*
Nimis ſuperbum! veriùs dicam, Dea
Illuſa Phrygibus rurſus ad pugnas vocor.
En execrata Iudicis diri domus,
Flammis Achiuis, ſed meis odiis magis
Quæ conflagrauit, cinere fæcundo nouam
Enixa Troiam luſit Argolicas faces,
Iraſque noſtras. Scilicet vinci nequit
Hæc Hydra flammis. Orbe Dardanio iacet,
Tamen Latinis collibus maior tumet:
Nec metuit vltra, ſæpe quos meruit, ſemel
Quibus arſit, ignes. Ignis vt fugiat metus,
Inſedit vndas, vrna quas largè tua
Tyrrhene Latio Tybri defundit ſolo.
Miſerande Tybri! libero quondam pede,
Tuo trementes impetu, ripas premens,
Spumantis aulam clarus intrabas liquor.
At nunc recentis vrbis inſeſſus iugo,
Seruile victis Phrygibus aduoluens fretum,
Pudibundus amnis condis oceano caput.
Sed leuia querimur. Subditus Tybris leue eſt.
Tibi Africana Tethyos vaſtis procul
Diſterminata fluctibus, patria Samo
Magis mihi dilecta Carthago, tibi
Minatur iſtæc machina: Aeneadum manu
Te poſita contra ſpondet Aerea fidem.
Nunc pœnitet, placata quòd tandem tuli,
Didone

Didone ſæuum prodita, Troëm hoſpitem
Fatale Didus arcibus, regnis meis,
Impune regnum condere aduerſa plaga.
At, credo, Troas vlta pœnarum ſatis
Tunc irrogaui, cum Iouem flexi prece,
Ne verſa nomen Troia rediuiuum daret
Populo, vel vrbi. Scilicet fortis dolor
Iunonis hoſtis nomen et vanum ſonum
Populatur, hoſti parcit. Iliaco rogo,
Quo mater arſit, nata deterior ſua
Succendit in nos odia. Iam bellum mihi
Indicit, et Carthagini clades meæ.
Sic orbis ergo ſceptra Carthago geres,
Tibi quæ fouebam? ſceptra præripiēt Phryges?
Profugique mundo iura captiuo dabunt?
Regina ſi ſum, ſi Iouis magni ſoror,
Si fulminante nil minor coniux viro:
Bella occupabo, te triumphabo prior.
Non dabitur (eſto) mœnia in cinerem dare:
Fraterna ſed per odia flammabo ſatis.
Proruere naſcens funditus regnum vetor:
Naſcetur, obſtetrice me, Regum neces
Inter ſuorum. Nata per mortes Ducum,
Natalis hæc cruore ſordebit dies.
Geminare Geminis gaudia extinctis nefas:
Laniena certè fratris alterius licet.
Ceſum Gradiuus aſſeret cælo pater:
Dum pereat, aſſeratur: eductæ priùs
Pœnas det Vrbis, tum nouus tumeat Deus.
Age ira debacchare, Iunonem incita
Furore toto: ſed furor totus parum eſt

Adhuc

Adhuc inulta. Commodet cunctus ſua
Portenta mundus: quæ tamen? Cælũ, mare,
Telluſq; vires fregit in Teucros ſuas,
Bellante me: vel ipſe Furiarum furor
Laſſatus hac in bella. Quod monſtrũ inuocē?
Ita ſit. Auerno Romula merſus manu
Albæ Tyrannus vindices pœnas fremit.
Hic, hic ſatelles aptus eſt furiis meis.

Audiſtis Reginam ipſam Iunonem infantiæ meę teſtem, cuius teſtimonium reijcere non poteſtis: ne pluſquã Romulo & Rem. vobis illa ſuccẽſeat. Imò, inquit Sanctius, ad eandẽ prouocamus: quãdoquidem tuo in carmine tã eleganter furit, vt Herculis furentis Iunonem non deſideremus. Quin potiùs, ſubdit Andrianus, caue Iunoniũ furorem, dum in curſu eſt, tuo ſilentio ſiſtere: ne, quid læſa & furens fœmina poſſit, experiare. Audio, inquam. Reliqua non faſtidi tis: nec Inferos iam dehiſcentes horretis. Sic igitur ex his Iuno Amulium excitat.

SCENA SECVNDA.

Iuno, Amulius.

(veni:
HVC Amuli, noſtra Erynnis, Tartari unde
Affer angues, affer ignes, egere ac totã Stygã.
Regna prouocãt cruenta, nata funeribus tuis
Imperat Regina Iuno, Iuno (quod mai') furẽs.
Rita verba fudi: vocis imperio meæ
Totius ecce diſſono aſſenſu ſpecus

Remugit

Remugit echo ſtygia. Iam dirum tonat,
Iam triſtè picea fulgurat flamma: bene eſt:
Mox peſte fulminabit emiſſa Chaos.

Am. *Heu parce miſeros, parce Regnatrix Deûm*
intra *Vexare manes: plectimur toruo ſatis*
pro- *Sontes Tyranno: Iuno cur etiam furis?*
ſceniũ *In qua vocas ſupplicia? Ne videam diem,*
Quæ rapta inulto regna, quæ ſaluos mihi
O trudat hoſtes, Iliæ prolem: Stygis
Nox obruat me tota. Ne viuas domos
Relegam nefanda cæde funeſtas mihi:
Hic moriar iterum. Liceat infernas, precor,
Amare pœnas: horreo ſuperos magis.

Iun. *Erumpe tenebris: cernet vltorem dies.*
Irrumpe: vinces. Militat Iuno tibi.

Am. *Adſum vocatus, pectore et rabido gero*
Omnes erynnes: cladis immensùm flagrat
Collecta flammas inter æternas ſitis.
Vbi hoſtis, vbi?

Iun. *Securus hìc hoſti patet.*

Am. *Quis hic locus? quæ verticem cælo parem*
Arces tumeſcunt, maior humano labor?
Quæ templa, quæ theatra, quæ video fora?
Quas inuidendas Regibus magnis domos?
Quid hoc? ſuperbæ molis ingratus nitor
Terr fixat oculos: imò neſcio qua face
Torret medullas: ardor irritat nouus
Veteres furores. Retege nunc hoſtem Dea.

Iun. *Ad ſæua nondum bella caluiſti ſatis:*
Mihi friget ardor iſte. Par odiis meis,
Tuiſq; damnis dignus vt flagret furor:

Inimica

Inimica noſce moenia. Iliadæ Duces
Hac regna condunt, Regiam hic altè tua
Fundant ruina, purpurant gemini tuo
Cruore Reges, et ſuperbifica manu
Sceptrum gerentes, barbaræ ſpolium necis,
De te triumphant: vtque nil deſit probro,
Damnata fluuio capita, queis mergi iubes,
Dominantur vndis: ipſa regnantes reos
Supplicia adorant: Tybris expoſitos colit:
Famuloque dominos gurgite allambens pedes,
Gemello adulat regna prædoni tua.
Nunc nunc medullas torreat maior vapor:
Veteres furores ardor irritet nouus:
Sit ardor hic naſcentis imperii rogus.
Si iuſta per naufragia cum pueris tuus
Præluſit olim non laceſſitus furor:
Quid parricidis debeas fœdè lacer,
Iunone coniurante quid poſſis, vide.

Am. *Video: videbit Iliæ inuiſum genus.*
Non iſta, faxo, gaudia è lacero ferant,
Vt noſter hoſti fertilis regnum cruor
Progignat. Ibo, ſtirpitus molem eruam:
Regnis ſepultos obruam Reges ſuis,
Tuiſque, Tybri, non reuerſuros aquis.

Iun. *Reſiſte: non vlciſceris: facinus leue*
Sceleri rependis maximo, totum tuis
Si manibus inferatur excidium: pares
Non ſunt, niſi ipſi, ſceleris vltores ſui.
Tu regni amorem, crimen irarum fere:
Permitte clades fratribus. Miſeri dabunt
Pœnas abunde: regia impulſum dabit

Regnum

Regnum ruina. Nullus imperii ſtatum
Conuellat æquè turbo, quàm rixæ pater,
Amor imperandi.

Am. *Quod iubes, factum puta.*
Videbis æſtuare fraternas fibras
Phlegetonte toto: petere ſed noſtro ſpecu,
Regina, per te liceat vltrices faces.

Iun. *Properare iubeo.*

Am. *Faciet alatum furor.*
Dehiſce tellus.

SCENA TERTIA.

Iuno, Amulius.

O *graui lectum bene*
Monſtrum ruinæ! Cernis, vt ſubitam Styga
Laxarit altos hoſtis in caſus mei?
Vt ima ſuperis miſcet? vt mundi vltima
Confundit aſtris? Hoc placet rerum chaos:
Hæc ſcena tragici fabulam regni decet.
Sed ecce ventis ocyùs, lentè tamen
Noſtri furoris furia præportat faces.

Am *Fuiſtis hoſtes. Fatum ineluctabile*
Hæc officinis arma de ſtygiis ferunt.

Iun. *Cur gemina geminis facibus armatur manus?*

Am. *Hæc, quæ veneno ſparſa Gorgoneo vomit*
Atris malignum tæda cum flammis iubar,
Liuore mixtum figet alterno malum
Regnandi amorem: quæq; ſanguinea coma
Crudele fulget, oſſibus diram ſitim
Cruoris implicabit, et geminum impio
Furore pectus incoquet. Non hæ rudes

Ad

Ad ſumma veniunt ſcelera furiales faces.
His æſtuarunt mutua, Oedipodæ genus,
In bella Fratres, mutuo flammam rogo
His ſubdiderunt: hæ Thyeſtæas dapes
Coxere, natos: Atreo fidem, diem
Cælo fugarunt: ferreo ſæclo nefas
Ad omne præluxere.

Iun. *Nunc iſtis opus.*
Agè præfer, vt præluceant: hoc ad iubar
Inſcribat vrbi Romulus nomen nouæ
Cruore fratris. Viribus totis agè
Tuis meiſq; fulmina: inuictos aquis,
Extingue flammis.

Am. *O ſuperborum Ducum*
Altiſone fulminator, extinctus licet,
Quàm grauiùs hoſtes fulminem Reges, vide.

Iun. *Sic ſic ferantur. Tota ſuccuſſo ſolo*
Præſaga cladis timuit ac tremuit ſuas
Regia ruinas: tota contactu horruit
Monſtri ruentis. Ecce ſed vulnus cadit.
Habent: per omnes flamma graſſatur, malũ
Furiale, venas: Commodùm iactæ faces
Ludos ad vrbis: Phoebe ne lucem refer:
Feſtiua flamma ſplendet inferna dies.

Am. *Io triumphe: vicimus victi Duces.*

Iun. *Abſcede victor in tuas pœnas: nouum*
Pæana luctus inter æternos cane.

Am. *Excipite plauſu Tartara: hic plauſus placet:*
Extinctus hoſtes vrit in mediis aquis.

Iun. *Excipite plauſu ſidera: hic plauſus iuuat:*
Fortuna Troiæ per nouas flammas redit.

Cum hæc legiſſem, pulchrè, Ferrari, peccaſti, ait Sanctius: quòd Inferos & infernas vmbras efficaci nobis carmine amabiles effeciſti. At mihi quidem, adiecit Andrianus, ſuis Amalius facibus, furorem inuidiamq; facientibus, audiendi reliqua impatientem iniecit ardorem. Perge igitur.

SCENA QVARTA.

Fauſtulus, Ciues coronati, Pliſtinus.

Iam roſea vernas inter Aprilis roſas
Natalis vrbi naſcitur noſtræ dies:
Vernare lucem gaudio natam decet.
Hæc aura, fama lucis, auroræ comes,
Terris labores murmure indicens leui,
Vobis ſuſurrat otia, et feſtas dapes,
Ludoſq; regno proſperè nato ſacros.
Nunc agite, lecti mœnibus ciues nouis,
Mixtum Latino Dardanum forti genus,
Renata meliùs Troia dum Latio caput
Regale tollit, hoſtis a telis procul,
Supraq; flammas Græciæ, inuidiam ſupra:
Felicitati capite lætitiam parem,
Par apparate ludicrum: hoc tempus monet,
Auguſta ſic imperia Martigenûm iubent.
Ciu. *Grato paratos, Fauſtule, imperio vides.*
Ciu. *Arcana mentis gaudia in vultu legis,*
Ciu. *Inſcripta nexa floreo verſu roſæ.*
Ciu. *Florere nato gaudium regno decet.*
Ciu. *O regna lato ſæpe reſponſo Deûm*

Promiſſa

Promiſſa proauis, ſerus Aeneadum nepos
Vos video tandem! video nil Troia minus.
Quantum parentis inſtar in vobis micat!
Quantum latebat cinere Troiano iubar!
Non ille matris fumus ambuſtæ decus
Infuſcat: illo ducitis lucem rogo.

Ciu. *O qui per ignes patrios, qui per maris*
Vndas furentes exteri Latio ſinu
Hoſpitia longa tuta quæſiſtis fuga,
Saluete templis additi priſcum nouis
Numen, Penates: Troia vos iterum colit:
Vobis latinum fertili gleba ſolum
Hic excitata Pergama è buſtis ſuis,
Caſura nunquam, vere felici parit:
Parit Latinos genere, Troianos fide.

Fauſt. *Hæc hac renaſcens Ilium æternat fides:*
Hæc feriæ virtutis ad ſpecimen sacro
Præludet hodie ludiero. Sed me vigil
Porticibus altis Regiæ infuſus dies
Alacritatis nuntium veſtræ vocat.
Huc euocabo gaudia et ludos breui.

SCENA QVINTA.

Pliſtinus, Ciues

DII. *facite, nos ne gaudium ludat breue:*
Sed timeo.

Ciu. *Nam quid ſenior in tuto times?*

Pliſtin. *Nocturna faciunt monſtra ſuſpectam diem.*

Ciu. *Nox cæca mœſtis ſæpe mendaces metus*
Tenebris colorat, clara quos tergit dies.

Ergo profare: coge lucifugas iubar
Viaere laruas: viſa per tenebras refer.

Pliſt. *Ne quærite vltra, publicum noſtro metu.*
Ne taminate gaudium.

Ciu. *Hoc imò nouo*
Cumulabis auctu, dum facis voto ſatis.

Pliſt. *Feſtus per vmbras proximæ noctis dies*
Lucere: viſus duplici clarus face
Et Solis, et paſtoribus cultæ Palis.
Flammante fœno fumidam flammæ comam
Lætitia celeri publica exultim pede
Ter ritè tranſmittebat: et ſaltu leui
Materna Troiæ exitii ſuperabat, faces:
Regia repentè cum Gemellorum domus,
Aurique gemmarumque pretioſè flagrans
Igne innocenti, heu viſa funeſtos rogos
Concipere vixdum nata. Sed (quod horreo
Magis) biformi diſſidens vultu ſibi
Flãmæ furentis ſplendidum monſtrũ extulit,
Hinc felle, et illinc ſanguine aſperſum iubar,
Vtrinque triſte. Media felici pede
Vnus pericla Romulus luſit fugax.
Obſcurus oculos heu Remus latuit meos.
Quàm vereor! hunc auertite ò ſuperi metum.

Ciu. *Pliſtine, reſpondere ſic ſuperos puta:*
Qui vana lætis ſomnia in rebus timet,
Ingratus hic Cælitibus, atque vltro miſer
Citra ſoporem ſomniat, fruſtra vigil.

Viuat haud vllo quatefactâ caſu
Spes, ab exciſis animoſa rebus.
Sic monet iam de veteri ruina
Troia reſurgens.
Vrbium Phœnix, cinefacta Troia
Pulchrior noſtris iuueneſcit oris.
Damna ſic proſunt, meliorq; vernat
Funere vita.
Inter Aprilis bene nata flores,
Dardanæ matris ſoboles decora,
Sæcla natalis tibi pollicetur
Florida Menſis.
Optima ô nutrix Lupa quàm beati
Lactis immulges facilem papillam!
Lacte creuerunt noua cum gemello
Mœnia Rege.
At quod infanti dabit alma nomen
Hæc dies Vrbi? ſata Marte poſcit
Roboris nomen, Veneris propago
Nomen Amoris.
Nunc dies felix geminanda feſtis
Ignibus: ſaltu ſuperandus ignis.
Troia per flammas rediuiua monſtrat
Ludere flammis.

Deſierat Chorus: Plauſere Duumuiri. At ego iſtum, inquam, plauſum plauſibili, quæ mox dabitur, tragœdiæ reſeruate. Mihi ſat eſt, quòd humaniſſima tolerantia veſtra nauſeam diſſimularit. Cum illi ſic nauſeare ſe dicerent percupere, ac proinde, vt reliqua perlegerem, adigerent: ijs morē gerere parabam. Sed ecce, reducto repentè ſipario, multis facibus coruſca ſcena nugas meas obſcurauit, melioriq́ue ſpectaculo præluxit.

VIRTVTVM PICTVRA

SIVE

Mutius Vitelleſcus ſuis laudibus coloratus.

COLLOCVTIO XI.

Nondum ex longa pertinaciq; inualetudine recreatus, adhuc decumbebat Famianus Strada, qui ſuorum proſperrimâ gloria voluminû ſemper valuit & valebit. Ad eum, cum & ego adeſſem, pomeridiani de more venerant, è Profeſſorum domo Terentius Alciatus, & Vincentius Guiniſius, vterque religione, ſapientia, & lauta grandium in Societate munerum adminiſtratione, Patrum par inclytum. Cum dulciſſimis amicis ipſa rediјſſe ſanitas viſa eſt: adeo decumbentis color & vigor hilaratus reuixit. Sed plus vitæ deinceps familiaris cõfabulationis ſuauitas inſinuauit. Fortè inter confabulandum circunſpectans Terentius, vidit è pariete ſuſpenſam Mutij Vitelleſchi, qui paucos ante dies deceſſerat, pictam effigiem, & aliquantulum contemplatus, ait, quàm bellè in hac Mutius pictura viuit! vt colores ipſa è vita & ſimilitudine temperati coalitique videãtur. Dein Guiniſius, & ipſe curioſè intuitus, haud equidem, inquit, ſcio an è ſimulacris compluribus, quæ à Mutij funere vitam duxere, aliud ſit hoc

viuacius & ſimilius. Ad hæc Famianus, gratulor mihi non mediocriter, extinctum Mutium, quatenus licet, hic melius viuere. Tum ego, ſi tantum permittitur coloribus, vt animam & vitam allinãt vita functis: quid ipſæ virtutes efficiant, floridi nẽpe colores animorum? Ergo agite ad picturę inuidiam, non communibus illum coloribus, ſed proprijs virtutum pigmentis exprimamus. Cum annuiſſent omnes, equidem, inquit Terentius, præ cęteris naturæ ornamentis ſemper in Mutio ſuſpexi par diſciplinis omnibus ingenium, hoc eſt muſarũ choro dignum celſiſſimi animi Parnaſſum: vt penetrale mentis domicilium pulchrè habitaretur, in quo ſcientiarum nullam deſiderares. Eos verò in ſingulis progreſſus habuit, vt æquales anteuertens, geminam & manſuetioribus & ſeuerioribus à muſis eruditionis lauream reportarit. Fuit in eo mira memoriæ vis, eorum, quæ legerat, audiuerat, ſiue ſcripſerat, retinentiſsima. In iſto verè penitiſſimo theſauro non ſua ſolùm, ſed etiam aliena ſecũ bona portabat, indidemque, cum vſus eſſet, eruditas opes depromens, aurum gemmaſque loquebatur. Hinc priuatis in congreſſibus culta comitas, publiciſque in allocutionibus docta grauitas. Vidimus cum Philoſophiam ac Theologiam publicè doceret, orbem terrarum in Romani Collegij gymnaſio auditorem, ex illius ore aureis eloquentis doctrinæ diuitijs iucundè catenatum, pendere: vt iam nihil Gallicum Herculem admiraremur, populorum captiuas aures nectentem, præ Mutio, qui animos vinciret pariter, ac ditaret. Opportunè celebra-

rem

rem hoc loco mentis perſpicaciam, niſi aquilino eminens in vultu, ſatis ipſa ſe proderet, ac vel tacita prædicaret. Quin iſta,inquit Famianus,oris in Mutio lineamenta dotem animi alteram mihi delineant, prudentiam videlicet, principem in Moderatore virtutem. Meminiſtis Cyrum, Regem prudentiſſimum,populari gratia in primis floruiſſe, quòd regiam oris dignitatem venuſta nariũ adũcitas auguſtiorem faceret. Vt eandem propterea formam in alijs,tanquam Cyrũ referẽtibus,adamarint. Hæc autem prudentiæ vis in prouincialibus præfecturis eiuſmodi laude præluſit, vt grauiſſimam ſummi prouinciam imperij leuem Mutio ludũ fore oſtenderet. An ludere non dixiſſes, cum ipſo ampliſſimo magiſtratu maior, inter aſſiduas curarum tempeſtates eminens in vultu conſtantis animi ſerenitas præfulgeret? Vt cum rerum omnium effectrice diuina ſapientia, quæ in orbe terrarum moderando ludit, ſapienter colludere videretur. Memini Mutium ſæpe mihi narraſſe (nam ſua mecum arcana, vt ſcitis, amiciſſimè communicabat) cum ad Pontificem maximum Paulum, eius nominis Quintum, adiret, conſilium opemue difficillimis in rebus petiturus,eundẽ ex ipſo Pontificẽ ita quærere ſolitum, Quid tu ſuper ijſdem rebus conſilii caperes? cumque ſuam ipſe ſententiam timidè ac reuerenter exprometet: eam ſibi quoq; videri optimam, & ex prudentiæ cortina editam à Pontifice pronuntiari. Ita Mutius ex oraculo Vaticano ipſe ſibi oraculum erat: nec diuinius aliud conſilium ſuccurrebat ſummo numinis interpreti,quàm quod

prudentia ex ore Mutij locuta ſuppeditaret. Hinc ad eum creberrimi omnis ordinis hominum concurſus, de priuatis publiciſque commodis reſponſa petentium. Hinc, eodem per annos triginta gubernaculum obtinente, tranquillè fluens, & ex omnium voluntate ordinis noſtri ſtatus. Hinc denique ſummorum Principum in eum amor, & honorifica opinio: quòd in ipſo principem ac planè regiam virtutem eminere ſuſpicerent. Vt eorum aliquis dictitaret, omnium, quos ipſe noſſet, mortaliũ videri ſibi Mutium prudentiſsimum. Audierat hęc attentiſſimè Gutniſius: tum ipſe ſibi ſic attentionẽ conciliauit. Floridis vos quidem, at vrbanis & noſtratibus Mutium coloribus adumbratis potiùs, quàm exprimitis: Cæleſtibus ego diuiniſque decentiùs repræſentabo. Cogitatione pręcipitis, quã ego virtutem eius ſuſcepèrim prædicandam: morũ videlicet integritatem. Antiquiſſima hæc illi fuit, quippe quæ cum ipſo nata & adulta æqualẽ ſummæ ſenectuti produxit ætatem: vt virtus ſoror uitæ gemella fuiſſe videatur. Innocẽtiam cum lacte, aut veriùs pro lacte ſuxit: adeo ſeſe totus eius candor corpori animoque infudit. Inaffectata modeſtia, membrorum pręſes, motus omnes moreſque temperabat. Seuera in victu frugalitas, ac prope dixerim cibi abſtinentia corpus in animnm extenuabat, mentique leuiorem in dies ſarcinam reddebat. Accuratiſſima religioſarum legum & inuiolata cuſtodia tam ſecundam illi famam confecerat, vt Aloyſium Gonzagam, ætate vitæque inſtituto coæqualem, probitate geminaſſe diceretur: quiq; ad eum

venti-

ventitabant, ad Angelum, aiebant, adeamus. Liquidiſſimi verò ſenſus pietas in Deum, diuino cordis calore tabeſcens, oculorũ ſuaui ſtillicidio vbertim rorabat. Deniq; manſuetudo alienas beneficijs iniurias peramanter vlciſcebatur: vt aliquis dixerit, eum, qni Mutium vellet beneficum, malè de ipſo mereri oportere. Finierat Guiniſius. At ego, gratulor vobis, inquam, nouum genus picturæ præſtantioris, quæ dicendo colorat, quæque cum auribus oculos ad argutum ſpectaculum trahit. Tã viua, tam vegeta eſt, quam virtutum pigmentis expinxiſtis, effigies: vt Mutium ipſum reuixiſſe credam. Vnus mihi iam ſupereſt inducendus læuor, non ſandarachæ fuco, ſed ingenuæ humanitatis aſpectu. Hæc omnes humanitas quà officiis, quà beneficijs ſic demerebatur: vt Hercule fel'ciùs non aures modò, ſed voluntates quoq; ad ſe raperet catenatas. Nimirum magnes hominum eſt humanitas, quæ mortales, quamuis ferreos, molliter nodat, & ſuauiter raptat ad obſequium. Teſtis eſt orbis terrarum ad Vrbem, Vrbium miraculum, confluens: vbi vrbaniſſimos Mutij mores inter cætera demirabatur. Memini audiſſe me de viro Belga prænobili, qui grauiſſimorum cauſa negotiorum Romam venerat, ſi nihil aliud, hoc certè magnum ſibi videri operæ pretium feciſſe, quòd Mutium Vitelleſcum, ſocietatis Ieſu præpoſitum generalem, de facie deque moribus humaniſſimis norit. Id equidem profiteri de me habeo, molliſſimos mihi fuiſſe horis omnibus ad eum aditus, exituſque pariter ab eius liberali facilitate ſecundiſſimos. Quòd

ſi negandum aliquid videretur aliquando · tantã, quæ negaret , vultus & verborum ſuauitate condiebat , vt repulſa inter beneficia numeraretur. Sed agè iam , ſatis abſoluta pulcherrimi animi effigie , manum de tabula : ne cum Protogene ſim infinitus . Diximus, & inuicem conſalutantes, cum expicta verbis imagine, ſingulorumq; cordibus affixa, diſceſſimus .

INDEX.

A

Affluentiæ hieroglyphicum. 82. et inde
Proſopopeia. 84.
Amantis eſt crimen eleuare. 137. 140.
Amicus amico ſanitas. 215.
Amor fraternus rarus et felix. 197.
Amoris priuati et publici pugna. 138.
Amulii tyranni officia ſuſpecta 133. 135.
Pax doloſa. 135.
Meticuloſum et ſuſpicax ingeniũ: 143.
Noctu inquietum. 145.
Sæuum. 142. 156. et inde
Implacabile. 158.
Subdolum. 160. et inde
Crudelitati par pœna. 195.
Furor in Romulũ Remumq; poſt necem. 206. et inde
Anio. 89. 94. 95
Aprilis Romæ natalis. 210. 213.
Arma ſaxea mundo coæua. 4.
Arnus. 52. 55.
Aſelli curſores in cælo. 24.
Ateſtina Tiburis villa. 90. 91.

B

Brauia per vrbem Romam qua pompa circunferuntur. 14. et inde 20.

C

Carolus Quintus Senenſi pugilatu delectatus. 34. 35.
Caſſianus à Puteo. 1. 2. 27.
Ceruſſa pugnorũ vibicibus remediũ. 31. 45. 48.

Chin-

Chinſeca, mulier Piſarũ ſeruatrix. 52.
Clauæ ludus Senis interdictus. 33.
Collocutionum ſcribendarũ occaſio. 2.
Conſpiratio in hoſtem patriæ laudabilis. 171.
Contemplationis hieroglyphicum. 77. 78.
Proſopopeia. 81. 82.
Curriculi Romani apparatus et frequentia. 17. 18.
Curſor robuſtus eſt. 11.
Curſores olim principes viri. 13.
Curſus ad militiam facit. 13.
Ad ſalubritatem conducit. 14.
Quadrigarum apud Romanos cæleſtium errorum æmulus. Ibid.
Curſus Aſinorum 24.
Bubalorum. Ibid.
Equorum. 20. 22. 23. 24.
Iudæorum. 19. 20.
Iuuenum. 23.
Puerorum. Ibid.
Senum. Ibid.
Curſus authores varii. 12. 13.

D

Deipara naſcens vera parit Hilaria. 60. et inde
Vera Aſtræa ſalubre æquinoctiũ facit. 61.
Ea maius a Deo fieri non poteſt. 60.
Eius munere mortales Cælitum conuiuæ. 63.
Deus trepidis in rebus implorandus. 131.

Eidem

Eidē pro beneficio laudes grateſq; agēdæ. 196.
Dominicus Buſſius alter Roſcius. 58. 59.
Adoleſcens piè moritur. 65.

E

Epiſcyrus quid. 37.
Equeſtrium carcerum forma. 21.

F

Famianus Strada. 215.
Fauſtuli cautio prudens. 146. et inde
Florentinus calcis ludus. 39. et inde
Fortis ſe ipſo armatus. 132.
Franciſcus Roſſerminius. 50.
Furori parabilia ſunt arma. 132.

G

Gruum trāſuolantiū ſaxeum ludricū. 5.

H

Harpaſti Senenſis *ludus.* 27. et inde
Pugilatus velitatio. Ibid.
Harpaſtum vnde dictum eiuſq multiplex nomen. 31.
Quod pilæ genus apud veteres. 37.
Quare puluerulentum. Ibid.
Eo nudi lubebant. Ibid.
Ludendi forma vetus. Ibid.
Labor. 38.
Vtilitas. Ibid.
Noxa. Ibid.

Con-

Concinnitas. Ibid.
Veteris ac recẽtis harpaſti diſcrimen. 39.
Origo ludi huius apud Florẽtinos. Ibid.
Recens a calce nomen. Ibid.
Definitio. Ibid.
Locus eiuſq; dimenſio. Ibid. et 40.
Colluſorum numerus. 40.
Aetas. Ibid.
Conditio. Ibid. et 41.
Veſtitus. 41. 42.
Ludi tempeſtiuitas. 41.
Hora. Ibid.
Dupex ludi genus. 42.
Agminis delectus. Ibid. et 44.
Diſpoſitio. 43. 44.
Munus Datorum, Turbatorum, Præcurſorum. 43.
Proceſſus in arenam. 44. 45.
Certamen. 45. et inde
Vnde dicatur ludus diuiſus. 42.
Medici laruati cum ceruſſa ad vibicum medicinam. 45. 48.
Hieronymus Buſſius è Societate Ieſu. 57.

I.

Ilia ſuper expoſitis gemellis in quæſtionem vocata. 161. et inde
Eius in miſerum patrem commiſeratio. 181. et inde
Vicariæ pro patre necis imploratio. 182. et inde
E calamitate felicitas. 186. et inde

Crates

Grates Superis actæ. 196.
Indolis magnanimæ ſpecimen in ſummo diſcrimine. 150. et inde
Inſidiator latebras amat. 132.
Viribus impares aggreditur. ibid.
D. Ioannis Baptiſtæ encomium. 68.
Ad ſolitudinem inuitamentum. 87. 88.
Ioannes Baptiſta Andrianus è Societate Ieſu. 199.
Ioannes Baptiſta Donus. 35.
Ioannes Baptiſta Giattinus è Societate Ieſu. 199.
Ioannes Bardius Vernii Comes. 49.
Iordanes fluuius. 66.
Eius antrum. 66. et 67.
Ornatus et gaudiū in D. Io: Baptiſtæ natalibus. 67. 68.
Ad ſolitudinem inuitatio. 68. et inde
Iunonis naſcentem in Romā odium. 203. et inde

L

Lætitiæ hieroglyphicum 79. et inde
Proſopopeia. 81. 82.
Lapidationis origo cæleſtis. 5.
Romanæ à Romulo et Remo. 3.
Recens diſciplina et vſus. 6. et inde
Leo Sanctius è Societate Ieſu. 199.
Lien peculiare curſus impedimentum. 13.
Athletis olim inurebatur. ibid.
Lucanus Pons. 91.
Ludi annui ad Cantabricum Sancti

Ignatii

Ignatii ſacellum. 3.
Ludorum militarium ſcriptio vtilis. 2.
Viro religioſo decora. 3.
Lupa mitis altrix. 144. 159. 190. 191. 197. 215.
Lupercal. 132.

M

Magiſtratuum conſeſſus in Romana curſiinis ſpectaculo. 17. 18.
Marcelli Maſtrilli natalis dies. 101.
Adoleſcentis indoles et virtutes. 101. 102.
In Societatem Ieſu ingreſſus progreſſuſq; 102.
Cupido Indiæ petendæ. 103.
Capitali vulnere laborantis mira ſanitas. 104. 105.
Indica profectio miraculis clara. 107. 108.
Pius ad Xauerii ſepulcrum ſenſus. 109. 110.
Marcellus Maſtrillus è miraculis conflatus. 105.
Bombardæ globo inuulneratus. 111. 112.
Captiuus, raptuſq; ad Iudices Iapones. 113. 114.
Variè cruciatus. 115. et inde
Vltimo ſupplicio affectus. 121. et inde
Cæli terræq; prodigiis cõploratus. 123. 124.
Medici perſonati et ioculares cum ceruſſa. 45. 48.
Mortui vita in effigie. 215. et inde
Viuacior in virtute. 216.
Mulieris propria garrulitas. 161.
Mutii Vitelleſchi è Societate Ieſu par omnibus diſciplinis indoles. 216.

Memoria. Ibid.
Comitas. Ibid.
Grauitas. Ibid.
Lineamenta. 217.
Prudentia. 217. et inde
Integritas. 218.
Modeſtia. Ibid.
Frugalitas. Ibid.
Religioſarum legum cuſtodia. Ibid.
Pietas in Deum. 219.
Manſuetudo. Ibid.
Humanitas. Ibid. et inde

N

Nocturnum ſomnium diurnæ curæ imago. 145.
Nox intempeſta. 144.
Numitoris ab Amulio metus. 135. et inde
In Remum pietas. 136. 150.
Sæuitia. 166. et inde
Cæſum in fratrem commiſeratio. 175.
Cum Ilia comploratio. 181. et inde
Poſt vitæ diſcrimen regnum. 186. et inde
Gratus ergà ſuperos cultus. 196.

O

Obedientia iræ frenum. 133.

P

Palilia. 210. 212.
Patris imperium religio maxima filio. 139.
Periculis grauioribus ſuccurrendũ. 172.
Perſeuerantiæ hieroglyphicum. 84. et inde
Proſopopæia. 87.
Petrus Malaſpina è Societate Ieſu. 126. 198.

Pietas

Pietas in hoſtes laudabilis. 177. 179. 180.
In parentem. 182. et inde
In patriam. 168.
Pietas vindex. 134. 168. 177. et inde
Pilæ ludo nudi ante lotionem exercebantur. 37.
Piſanus ludus ab Adriano Cæſare inſtitutus clauæ ſcutiq; appellatione. 51.
A quibus mitigatus. 52.
Magni fiebat a Piſanis. Ibid.
Alia eius origo et nomen a Ponte. Ibid.
Tempeſtiuitas. 53.
Magiſtratus Ibid. Ibid.
Apparatus et pompa. Ibid.
Factiones geminæ. 52. 54.
Arma. 54.
Conflictus. 54. 55.
Victoria. 56.
Emolumentum. Ibid.
Pons Lucanus. 91.
Miluius. 50.
Vetus Piſarum. 51. 53. et inde
Pugilatus quare Senis permiſſus. 33.
Pugilatus Senenſis locus. 27.
Factiones binæ. 27. 29.
Ritus. 29. 30.
Deſcriptio. 30. 31.
Origo. 32.

Q

Quadrigarum curſus apud Romanos cæleſtium errorum æmulus. 14.

R

Remi captiui argumentum. 128.
Indoles magnanima contemptu mortis. 132. 151. *et inde* 177. 179. *et inde*
Pia erga Numitorem. 177. 179. *et inde*
E captiuitate felicitas. 186. *et inde*
Robur corporis bellorum nerui. 10.
Robuſtis olim, non Sapientibus cur decreta præmia. 11. 12.
Robuſtus quis. 10. 11.
Roma in medio Tibure 89.
Quo die fundata. 201.
Septicollis. 194.
Orbis imperatrix. *Ibid. et* 195.
Robur et Amor eſt. 97. 213.
Romuli fundatoris argumentum 201.
De regno conſulentis anceps ſacrificium. 130.
In Fauſtulum reuerētia et pietas. 139. 150.
Ferox in hoſtes ingenium. 133. 139. 171. *et inde* 176. *et inde*
Pium erga fratrem. 133. 139. 176 *et inde*
Erga innocentes mite. 181.
E paſtorali fortuna imperium. 186. *et inde*

S

Sæuire in pueros barbarum. 145. 146.
Salus publica priuatæ anteferenda. 168.
Saxis inſani et poëtæ appetebantur. 5. 6.
Scyrus quid. 38.

Senenſis

Senenſis harpyſti ludus. 27. et inde
Ad pugilatum velitatio. Ibid.
Pugilatus. Ibid. et inde
Senenſium dos et vis in pugnis antiquiſſima. 32.
Senili conſilio reguntur regna. 163.
September apud Iudaeos magna ex parte ſacer. 63.
Sabbathum menſium. Ibid.
Sibyllae Albuneae templum. 89.
Simulatio prouida. 146. 147.
Solitariae vitae commoda. 69. et inde
Virtutes. 72. et inde
Somniis vana fides. 145. 211. 212.
Spes ab acciſis rebus viuax. 213.
Sphaeromachia ludendi ratio. 37.
D. Sympheruſae encomium. 91. et inde
etiam filiorum. Ibid. 95. 96.
Corpora Romae honorificè condita. 96. 97.

T.

Tarquinius Priſcus quos ludos in Circo ex Hetruria inuectos celebrauerit. 32. 33.
Terentius Alciatus è Societate Ieſu. 215.
Tiberis. 50. 189. 190. 203. 207.
Tibur imaginaria Roma. 89. et inde
Timor mendax interpres. 130. 144.
In tēpore prudenter diſſimulandus. 136.

V.

Valentinus Mangionius è Societa-

te Ieſu. 126. 198.
Villa Tiburtina Syphacis, 90.
Zenobiæ, Ibid.
Horatii. Ibid.
Catulli, Ibid.
Vopiſci. Ibid.
Mecœnatis, Ibid.
Ateſtinorum Principum. Ibid.
Adriani Cæſaris. 91.
Vincentius Guiniſius è Societate Ieſu. 215.
Vltor ne præceps, ſed cautus. 133.

X

Xauerii effigies exploſo bombardæ globo inuiolata. 110.

Errata

pag.	verſ.	*Errata*	*Corrige*
6.	13.	puer	pueri
12.	22.	corouauit	coronauit
20.	21.	recutitotum	recutitorum
21.	31.	prægranes	prægraues
22.	19.	eiudem	eiuſdem
25.	13.	paræmiæ	parœmiæ
25.	28.	ſcriptorem, decet.	ſcriptorem deeet,
32.	13.	aceolis	accolis
38.	26.	lacetis	lacertis
39.	31.	Senis	ſenis
46.	1.	typanorumq;	tympanorumq;
47.	25.	victirix	victrix
60.	4.	Semptembris	Septembris
60.	13.	it. em	item
73.	7.	ieiuna	ieiunia
87.	18.	opæca	opaca
87.	20.	ſeminadum	ſeminudum
88.	6.	duntæxat	duntaxat
90.	21.	Sed ecce autem	Ecce autem
94.	21.	traſmittis	tranſmittis
112.	18.	ſtepitu	ſtrepitu
120.	14.	lenitùs	lentiùs
122.	26.	cum capitæ ſecurit	cum capite ſecuit.
147.	4.	in fratre	in fratrem
153.	23.	heu	eheu
165.	18.	iungat	iungar
167.	30.	hot	hoc
175.	26.	extiguite	extinguite
183.	29.	Aenas	Aeneas
205.	11.	& Rem.	& Remo
205.	16.	ſiſtere	ſiſtas